



~~AM. 13.~~ EX BIBLIOTH.  
NATIONIS HUNGAR.  
VITEBERG.  
VI-51. ———  
SIGNAT. MDLCCCXIII.



IN NOMINE JESU!  
DISSERTATIO PUBLICA  
*De*  
**FIDE VERA,**  
**CATHOLICA, JUSTI-**  
**FICANTE ET SALVIFICA,**  
Neo - & Pseudo Catholicis Papistis,  
OPPOSITA.

*Quam*  
Divino adspirante Numine,  
In Illustri ad Albim Academia,  
PRÆSIDE

RECTORE MAGNIFICO,  
*Viro Plurimum Reverendo, Amplissimo atq; Excellentissimo,*  
**DN. JOHANNES SCHARFIO,**  
SS. Theol. D. ejusd. Profefs. P. famigeratissimo, Col-  
legij Theol. SENIORE gravissimo, Templi Cathedralis  
Præposito meritissimo,

Dn. Præceptore, Patrono ac Promotore suo, omni hono-  
ris & observantiæ cultu perpetim devenerando,  
*Placide Eruditorum disquisitioni subjicit*

**MATTHIAS CHRISTOPHORI Ungarus.**

*In Auditorio Majori,*  
Ad diem 18. Decembris horis antemeridianis

---

*Augustinus contra duas Epistolas Arianorum lib 3 cap. 15.*  
Nostra fides, hoc est, Catholica fides justos ab injustis, non operum, sed ipsa fidei lege  
difoerit, quia justus ex fide vivit. Per quam discretionem fit, ut homo ducens vitam, *lauda-*  
*bilem,* — cum suis tamen istis, velut laudabilibus moribus, si non in Deum fidem rectam  
& Catholicam teneat, de hac vita damnandus abscedat.

---

WITTEB. Typis JOHANNIS RÖHNERI Academ. Typographi 1656.

9.  
8

1973

A.



In Inclutâ & Celeberrimâ Hungarorum Urbe.

BARTPHA

Ad gubernacula Reipublicæ sedentibus,

VIRIS

*Generosis, Nobilissimis, Amplissimis, Consultissimis,  
Excellentissimis,*

DNN. JUDICI,  
SENATORIBUSQ;

Cæteris,

Patriæ Patribus meritisimis, Li-  
terarum Promotoribus summis,

*Dnn. Patronis, Evergetis ac Mecenatibus omni  
observantiæ cultu æviternum devenerandis,*

Hocce publicum studij Theologici Specimen,

*In debite observantiæ Testimonium,*

*Et ulterioris fomentum favoris,*

*humilimâ & devinctissimâ*

*mente.*

*offert ac dedicat*

Matthias Christophori  
Crombach-Ungarus.



## DISSERTATIO PUBLICA

De

# FIDE VERA, CATHOLICA, JUSTIFICANTE, ET SALVIFICA.

**A**Rdua profectò, gravissima, & extra-  
omnem controversiam summè necessaria est  
disquisitio, quæ de *Fide verâ, Catholica,* sive  
orthodoxâ, nec non *Justificante, & Salvificâ*  
suscipitur; Præsertim cum eâ super re vehe-  
menter hodieq; disceptetur, nec non de Fide  
Catholicâ glorientur plurimi, qui eam cæco impetu arietant,  
turpiter depravant, nec non hostiliter infestant, diruuntquè. Ja-  
ctant fidem rectam & Catholicam hostes Veritatis cœlestis &  
persecutores fidelium, qui non argumentis, sed tormentis, non  
verbo, sed ferro & igne, non docendo atque monendo, sed tor-  
quendo, cogendo, sæviendo fidem suam inculcare ac propaga-  
re contendunt. At verò illi utiquè non bono, sed malo spiritu  
aguntur: mundi spiritu rapiuntur, qui nec Deum nec Christum  
novit, *Job. 16. v. 3. cap. 17. v. 14. & seqq.* non reguntur Spiritu Chri-  
sti, cujus Spiritus est mansuetus, mitis, patiens, *Matth. XI. v. 29.*  
*Luc. 9. v. 53.* Spiritus sapientiæ benignus est *Sap. 1. v. 6.* Zelus sine  
scientia furit virulenter. Profectò Catholicam illi fidem non  
tenent, cum ista semper per charitatem sit efficax. *Gal. 5. v. 6. nec  
ullis bonis in Catholica Ecclesia placet, si unq; ad mortem in quen-  
quam, etiam hereticum, sæviatur,* teste S. Augustin. lib. 3. contr. Cre-  
scon. Gram. cap. 50. Jactant fidem rectam & Catholicam Pseu-  
dopropheta, & falsi Doctores, qui & miraculis sibi auctoritatem

A 2

conci-

conciliare satagunt. Verum furia sunt & Anti Christi satellites, cujus adventus est ex efficacia Satanae cum omnipotentia & signis, ac prodigijs mendacibus, quos Dominus gladio Spiritus redarguet, & Spiritu oris sui conficiet. 2. Thess. 2. v. 9. 10. Quales miraculorum praestigiatore audiendo non esse, jam olim monuit Jehovah Deus ipse, inquit: *Quum surrexit in medio tui Propbeta, vel somnians somnium, & dederit tibi signum vel portentum, eveneritq; signum & portentum, quod locutus est tibi, dicendo camus post Deos alienos, quos non nosti, & colamus eos, non obedies verbis Propbeta illius, aut somniatori illi, quia tentat Jehovah, Deus vester vos, ut sciat, an diligatis Jehovah Deum vestrum, toto corde vestro, & tota anima vestra. Deut. 13. v. 1. 2 3.* Cavete igitur & videte, ne quis vos seducat. Surgent enim Pseudoprophetae & edent signa magna & miracula *Matth. 24. v. 4. 24. 25.* Jactant fidem rectam atque Catholicam hypocrita, qui clamant cum Judaeis; *hic est templum Domini, hic est templum Domini, hic est templum Domini Jer. 7. v. 4.* hic est Christus *Matth. 24. v. 23.* hic est cathedra Petri, hic Ecclesia Catholica! sed ut ut speciem pietatis praesferant, & Deum se nosse ore profiteantur, virtutem verae fidei negant operibus suis. Talem quippe illi fidem tenent, profitentur, atque propugnant, quae Sceleratorum quorumvis nebulonum propria est: videlicet ex Concilio Tridentino suos amplectantur, inque suo sinu fovent *fideles, fornicarios, adulteros, molles, masculorum concubitores, fures, avaros, ebriosos, maledicos, rapaces, & quosq; alios, qui peccata lethalia admittunt.* Insignes scilicet fidei Papisticae Socij. At at qualis est illa fides? Ex operibus eam aestimemus atq; dijudicemus oportet, uti Apostolus Jacobus non immerito requirit in Epistola sua *cap. 2. v. 18. Tu dicis, fidem habeo, ostende mihi fidem tuam ex operibus tuis, & ego ostendam tibi ex operibus meis fidem meam.* Profecto multi dicent in illo die extremo: *Domine, Domine, nonne per nomen tuum prophetavimus, & per nomen tuum Daemonia ejecimus, & per nomen tuum multas virtutes prestimus? Ac tum confitebor illis, ait Christus, judex universi orbis, nunquam novi vos: discedite a me, qui operamini iniquitatem Matth. 7 v. 22 23.* ut prudentibus loquor, *Judicate vosmet ipsi, quod ajo, 1. Cor. 10. v. 15.* Agite igitur, disci-

discutiamus caufant, & paulò accuratius inquiramus in naturam fidei veræ Rectæ & Catholicæ, ejus præcipuè, quæ est verè Justificans & falvifica, ut quænam & qualis ea fit, ac esse debeat, nec non ubi vigeat, apertius deprehendatur. Hæc meta & scopus nostrarum futurarum operarum est. Sanctifica nos Domine in verâ fide, ac veritate. Verbum tuum veritas est. *Job. 17. vers. 17.*

### Quæstio I.

*Quid sit fides justificans, num interna ejus natura absolvatur Notitiâ & assensu, an verò etiam in se complectatur specialem fiduciam in Deum?*

1. Constans Ecclesiarum Evangelicarum doctrina est, quod vera, recta, Catholica fides, justificans item & falvifica, non tantum consistat in notitia objecti credendi, & assensu seu cognitorum credibilium approbatione, sed & in speciali fiducia in Deum, & Salvatorem, Christum Jesum, seu in fiduciali apprehensione meriti Christi, quâ Deo gratiam promittenti confidimus, certoquè statuimus, nos gratis propter gratiam recipi in gratiam, & peccata nobis unicè remitti propter Christum Jesum, qui suâ morte pro peccatis nostris satisfecit, ut signanter loquitur Augustana Confessio. Art. 4. Hanc fidem imputat Deus pro justitia coram ipso. *Rom. 3. v. 22. cap. 4 v. 5. & seqq.*

2. Hæc videlicet vera illa fides justificans est, quæ in verbo Dei subinde describitur, quod 1. cognoscat res credendas, sicuti Apostolus Paulus ait: *fide intelligimus, verbo Dei aptata esse secula Heb. XI. v. 3.* Fide teneamus oportet mysteria fidei: hæc enim nobis revelata sunt per spiritum Dei, *ut sciamus*, quæ donata nobis sunt *1. Cor. 2. v. 10 12.* Necessum omninò est, ut rectè cognoscamus Deum, Patrem, & quem misit Christum Jesum.

2. Fides assentiatur verbo promissionis, indeque 3. Concipiat fiduciam, Deoque firmiter confidat. *Beatus Vir, qui confidit in Domino, & Jehova est fiducia ejus, Jerem. 17. v. 7.*

A 3

3. Quos

3. Quos actus fidei & ordinem credendi, haut obscure insinuat Christus Joh. 14. v. 7. 9. 10. 11. 12. *Si nossetis me, Patrem etiam meum nossetis: & jam nunc cognoscitis eum, & vidistis eum, & mox subjungit, qui vidit me, vidit Patrem: quomodo igitur tu dicis, ostende nobis Patrem.* Non credis (non nosti) me in Patre & Patrem in me esse: Credite mihi, me in Patre & Patrem in me esse, *sin minus propter ipsa facta credite mihi Amen! amen dico vobis: qui credit in me, opera quae ego facio, & ipsa faciet &c.* Notanter loquitur Christus de Notitia fidei, distinctisq; ejus actibus, quorum primus est nosse & videre Deum. 1. Nostis me, inquit, videtis Patrem, 2. credite mihi, & 3. credite in me. Unde communis illa distinctio orta videtur, quae statuunt, *aliud esse credere Deum, aliud credere Deo, & aliud credere in Deum.*

4. Vulgatissima ista distinctio est quam ex S. Patribus, non Scholastici modo, sed & Orthodoxi Theologi passim proponunt. Lombardus, pater Scholasticorum, & Magister sententiarum lib. 3. Distinct. 23. sic disserit pag. 613. *Aliud est credere in Deum, aliud credere Deo, aliud credere Deum.* Credere Deo est credere vera esse, quae loquitur, quod & mali faciunt, & nos credimus homini, sed non in hominem. Credere Deum est credere, quod ipse sit Deus: quod etiam mali faciunt. Credere in Deum est credendo amare, credendo in eum ire, credendo ei adherere, & ejus membris incorporari. Per hanc fidem justificatur impius, ut deinde ipsa Fides incipiat per dilectionem operari. Thomas vero in secunda secundae quaest. 2. art. 2. prolixè disputat: *utrum convenienter distinguantur actus fidei, per hoc, quod est credere Deo, credere Deum, & credere in Deum,* Respondet autem quod rectè ita distinguantur ex parte objecti in ordine ad intellectum. Plura videntur ibidem, & apud ejus Sectatores.

5. Nos, misis illis tricis, quas hic intexunt Scholastici, distinctos saltem exinde notamus fidei actus, quibus constituitur, & se exerit, quales sunt 1. Notitia objecti credendi. 2. Assensus. & 3. Fiducia: qui ordine isto haut inscitè connumerantur, & non immeritò retinentur, quicquid etiam contra obloquantur Novatores Helmstadienses, Calixtus, Hornæus, eorumque complices, & assentatores. Scriptitant illi in der **Wiederlegung** seu



seu Apologia contra Buscherum parte 2. punct. 4. numero 53. pag.  
383. Es ist aber die Ordnung hierinnen diese / 1. daß  
Gehör Göttliches Worts / und das man wisse was  
dasselbe lehre / diese Wissenschaft an und für ihr selbst  
ist nicht die Erkänntniß Gottes und Christi / auch  
nicht pars intrinseca, ein innerlich stück des Glaubens /  
sondern das / woraus der Glaube durch die Göttli-  
che Gnade geschöpffet wird. 2. Daß man dem Wort /  
und dem / was man darauß vernommen von Herzen  
beyflicte / und beyfall gebe / und solches ist das erste  
stück oder der erste actus des Christlichen Glaubens /  
und darinn bestehet die Erkänntniß Gottes und Chri-  
sti / davon hin und wieder die Schrift redet. Endlich  
und zum dritten ist die Zuversicht und das Vertrau-  
en auff Gott und dessen Verheissunge / welches ist das  
andere stück / oder der andere actus des wahren Glau-  
bens / welches auch so kan außgesprochen werden.  
1. Ist das gehör Göttliches Wortes / und Wissen-  
schafft dessen / was dasselbe lehret / welches Gehör und  
Wissenschaft so wol Gläubigen / als vielen Ungläu-  
bigen gemein ist. 2. Der beyfall dessen / was man ge-  
hört / oder aus dem Wort Gottes berichtet ist. 3. Die  
wahre Erkänntniß Gottes / und der Göttlichen Ge-  
heimnissen / welche aus dem gehörten Wort in un-  
sern Herzen angezündet wird. Und dann fürs 4.  
die gewisse Zuversicht etc. Und diese letzte drey Stücke  
sind nur allein in den Gläubigen / und begreiffet solche  
alle der wahre Christliche Glaube in sich. Sic illi prio-  
re loco ponunt assensum, den Beyfall. Deinceps veram cog-  
nitionem Dei & mysteriorum divinorum. Hæc præpostera & per-  
versa sunt, nec errore carent. Hornæus in Dissertatione de Ju-  
stifi-

stificatione Theſ. 87. duos tantum fidei actus, *Aſſenſum* puta & *ſi-*  
*duciam* enarrat, excluſo quaſi, ſeu ſequeſtrato cognitionis actu.  
*Cum duo*, inquit, ſint precipui actus fidei, unus, ut per eam aſſen-  
tiamur divina revelationi; alter, ut ſiduciam collocemus in Deo &  
Chriſti merito. Fit tamen ut multi, qui nullum articulum fidei in-  
dubium vocant, nullam heresiſin cum verbo Dei fovent, ſiduciam  
etiam omnem in divina miſericordia & Chriſti merito repositam ha-  
bent, nihilominus in commeaſationibus, odiis, inimicitis, injuſti-  
tia, ſuperbia, & ſimilibus peccatis vivant. Horum ergo fides repre-  
hendi nequit. Hæc & falſa, & impia & execranda ſunt, ſed ob-  
jicit ille ſibi. Si dixeris, tales non rectè credere: nam alioquin eti-  
am illud ſciant, Deum odiſſe & punire peccata etiam fidelium  
& Chriſtianorum, & fruſtra ſiduciam in miſericordia ejus &  
Chriſti merito collocari, ſi præceptis ejus obtemperare nolis. R.  
Reſpondeo, inquit, multos quidem tales inveniri, qui impunitatem  
peccandi per doctrinam Evangelij ſibi concedi exiſtimant, eoſq; nec  
credere rectè, nec vivere &c. Ecce *ἀνομιαν* hominis: dicit  
ejusmodi ſcleratos homines non rectè credere, & tamen tueri  
theſin ſatagit, illorum ipſorum fidem non poſſe reprehendi. Mani-  
feſtiſſima contradicatio eſt, & *ἀόριστα* omnia.

6. Profectò rectius ſentiunt, docentq; illi, qui vel imprimis  
cognitionem credendorum in fide neceſſariam eſſe ſtatuunt,  
cum aſſenſus ſine illa rectus & firmus eſſe non poſſit. Cogni-  
tio intellectus præcedit, & ad eam ſequitur judicium approba-  
tionis, quod aſſenſum vocant. Rectè ſcribit Benedictus Juſti-  
nianus in Com. ſuper Epist. ad Rom. cap. 10. ad verſum 14. Quo-  
modo credent ei, quem non audierunt, aut quomodo audient  
ſine prædicante? Duo, inquit, que hoc loco à Paulo recenſentur,  
ad mentem atq; intelligentiam pertinent, ut audiat, hoc eſt, ut  
percipiat, & ut credat, id eſt, auditis & cognitis præbeat aſſenſum.  
Itaq; neceſſe eſt rerum divinarum notions, primum menti objici:  
& cœleſti ac divino lumine illuſtrari, quod ferè accidit, dum Evan-  
gelica prædicatione aures præbentur, mox divinitus mens colluſtrata  
fidem concipit. Luſtratio itaque mentis, intelligentia & perce-  
ptio, ſive cognitio rerum divinarum præcedere debet, ut auditis  
& cognitis præberi aſſenſus queat. Quam in rem, Vasquez in  
prima

prima secundæ quæst. 209. cap. 3. adducit dictum Augustini lib. de Prædest. Sanctorum. *Credere nihil aliud est, quam cum consensu aliquid cogitare; illudq; sic explicat: Vult Augustinus nihil esse aliud, hoc est, nullam esse aliquam aliam rem, aut Entitatem, præter eam cognitionem, quâ postquam objectum credendum mente apprehendimus, jam illi assensum præstamus, ut inde efficeret contra Semi-Pelagianos, cum non simus idonei cogitare aliquid ad pietatem pertinens ex nobis, quasi ex nobis, multò minus posse nos credere sine gratia Christi: nam & fidem præcedere debet cogitatio, de re credenda, quæ quidem ad pietatem spectat, & fides ipsa cogitatio quedam est.* Franciscus Costerus in Enchiridio cap. 4. ordine enarrat proprietates, ut loquitur, fidei, & primo loco ponit Notitiam. *Prima, inquit, est, quod sit species quedam cognitionis, non minus atq; scientia & opinio sicut Apostolus ait: Fide intelligimus aptata esse secula verbo Dei. Et paulò post: Tertia, quod quæ fide tenemus certissimè cognoscimus, longè etiam certius, quam res eas, quas sensu percipimus.* Unde B. Petrus Apostolus; postquam narrasset, se Christi gloriam in transfiguratione oculis vidisse suis, & Dei Patris vocem auribus accepisse; subjungit: & habemus firmiorem [ seu, ut Græcis est *βεβαιότερον*, id est, certiore & magis compertum ] sermonem Propheticum. *Quasi dicat, se certius ea nosse, quæ scriptura trahit, quam quæ oculis vidit.*

7. Quanquam verò Pontificij non rarò hæsitanter loquuntur de cognitione fidei, ea tamen simpliciter inficiari non audent, assensum verò planè agnoscunt & strenuè inculcant. Lombardus lib. 3. Sentent. distinctione 24. num. 3. *sciendum est, inquit, quod cum visio alia sit interior, alia exterior, non est fides de subiectis exteriori visione: est tamen de his, quæ visu interiori utcunq; capiuntur.* Et quædam sic capiuntur, ut intelligantur, & si non ut in futuro, quædam autem non: quia cum fides sit ex auditu, non modo exteriori, sed etiam interiori, non potest esse de eo, quod omninò ignoratur, quæ ipsa ad sensum corporis non pertinet, ut ait Augustin. dicens; Quamvis ex auditu fides in nobis sit, non tamen ad eum sensum corporis pertinet, qui dicitur auditus, quia non est sonus: nec ad ullum sensum corporis, quoniam cordis est res ista, non corporis. Quædam ergo fide creduntur,

B

quæ

quæ intelliguntur naturali ratione; quædam verò, quæ non intelliguntur. Unde Propheta. Nisi credideritis, non intelligetis. Quod August. aperte distinguit. *Alia sunt, inquit, quæ nisi intelligamus, non credimus; alia, quæ nisi credamus, non intelligimus.* Nemo tamen potest credere in Deum, nisi aliquid intelligat, cum fides sit ex auditu prædicationis. Lombardum Magistrum sententiarum sequitur. Thomas Aquinas, Angelicus, ut in Papatu audit, Doctor in summa 2. secundæ quæst. 6. Art. 1. in Conclusionem. Dicendum est, inquit, quod ad fidem duo requiruntur. Quorum unum est, ut homini credibilia proponantur, quod requiritur ad hoc, ut homo aliquid explicitè credat. Aliud autem, quod ad fidem requiritur, est assensus credentis, ad ea, quæ proponuntur. Hæc ab simili ratione differit ibidem in præcedentibus, quæst. 2. art. 1. quod credere sit cum assensu cogitare, prout cogitatio (quæ est quasi agitatio mentis) importat intellectus considerationem, cum aliquâ inquisitione & voluntatis consensu; additq; *actus iste, qui credere, habet firmam adhesionem ad unam partem, in quo convenit credens cum sciente & intelligente.* Bellarminus, & si lib. 1. de Justificatione cap. 7. disputet, contendatq; *fidem justificantem non esse notitiam, sed assensum, ac sub finem capituli concludat: mysteria fidei, quæ rationem superant, credimus, non intelligimus, ac per hoc fides distinguitur contra scientiam, & melius per ignorantiam, quàm per notitiam definitur;* tamen in præcedente cap. 6. prolixè docet, fidem pertinere ad intellectum, ejusq; actum esse considerationem, scientiam, considerare & scire ex Rom. 4. v. 18. 19. 20. Item cogitationem esse actum fidei, cum illic Apostolus disertè testetur de fide justificante, quod *plenissimè sciat.* Fateatur ibidem fidei proprium esse, plenissimè persuasum, certò habere, plenissimè scire. Quomodo igitur erit ignorantia? ut contendit Bellarm. ibid. cap. seq. Pergit ibidem pag. 2123. §. hæc philosophia &c. *Nos contendimus duos priores actus, qui sunt in intellectu* [ nempè 1. Notitiam sive cogitationem promissionis. 2. Apprehensionem, quâ unusquisq; statuit, eam promissionem ad se pertinere, ut ex Chemnicio eos recitat ] *esse actus fidei: quam in rem producit laudatq; testimonium sancti Augustini pag. 2123, in lib. de prædest. Sanctorum cap. 2. ubi dicit: credere nihil.*

nihil esse aliud, nisi cum assensu cogitare, ita ut cogitatio sit quasi genus, assensus quasi differentia. Nam ut ipse ibidem docet: *Multis cogitant, qui non credunt, imò etiam aliquando cogitant, ut non credant, sed nullus credit, qui non cogitat.* Quin & in ipso cap. 7. tum in titulo, tum in tractatione asserit: *fidem non tam esse notitiam, quam simplicem assensum.* Quare concedit, eam aliquo modo esse notitiam. Hæc ille. Quæ ex hypothese Pontificiorum & Jesuitarum hoc loco ita præsupposita sunt.

8. Cæterum ut paulò exactius id, quod caput rei est, enodemus, tum de notitia fidei, tum fiducia ejusdem ordine & distinctè agendum est. Primus enim fidei actus, ut præstruximus modò, est notitia, seu cognitio rerum credendarum. Hæc asserenda omninò est, & firmiter tenenda, nec non inculcanda sedulò. Nam sine ea prorsus nequit esse ulla fides vera. *Quomodo enim credent, si nihil audiverint* [intellectu perceperint] *fides enim ex auditu verbi est Rom. 10. v. 14. 17.* nempe ex auditu verbi rectè accepti & intellecti. *Multi audiunt, ut notat S. Ambrosius super hunc locum, & non intelligunt, quia malevolentia obcecaturum est cor eorum, de quorum perversitate ac contumacia subinde quiritatur Jehova. Es. 6. v. 9. 10. & oportunè commonet Proph. David Psalm. 32. v. 9. Ne sis, sicut equus, & sicut mulus, quibus non est intellectus, cujus os freno & habenis confringendum est, cum non velit appropinquare.* Vos autem non ita didicistis Christum, si modò cum audistis, & per eum edocti fuistis, sicut est veritas in Jesu Eph. 4. v. 20. 21. Videlicet, qui audit & didicit, venit ad me & Pater trahit eum, inquit Magister noster. *Job. 6. v. 45.* Sic ergo audiamus oportet ut intelligamus Matth. 13. v. 13. *Oves Christi non erunt vocem ejus, & sequuntur, alienum verò nequaquam sequentur, quia non norunt vocem alienorum. Joh. 10. v. 45.* Quare simus auditores, intelligentes & prudentes. Propterea enim Deus dedit nobis Spiritum suum, ut sciamus, *in a. c. id. ap. p.* [à Spiritu persuasi] quæ Deus nobis dedit. *1. Cor. 2. v. 12.*

9. Principio autem præoccupamus hoc loco, sicuti & constat inter omnes, quod impræsentiarum non disputetur de scientia naturali, & rationis naturalis, quæ judicio sensuum, & ex principijs natura notis comparatur, sed de supernaturali & revelatione-

*lationis divinae.* Naturalis utiq; homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei: Stultitia enim illi sunt, & non potest intelligere, quia spiritualiter dijudicantur. At spiritualis omnia dijudicat. *1. Cor. 2. v. 14. 15.* Omnia rectè intelligit, probè discernit verum à falso, divinum ab humanis commentis, solidam & stabilem habet notitiam spiritualium rerum: ex divinis demonstrationibus, ut Apostolus prolixè inculcat in præcedentibus v. 4. 5. 6. 7. *Oratio, inquit, mea, & prædicatio non versata est in persuasione humane sapientie verbis, sed in demonstratione spiritualis potentie, ut ne fides vestra consistat in sapientia hominum, sed in potentia Dei. Sapientiam verò loquimur, non seculi hujus, neq; principum seculi hujus, qui abolentur, sed loquimur sapientiam Dei latentem in mysterio, id est, occultam illam, quam præsinierat Deus ante secula, in gloriam nostram. Nobis verò ea revelavit per Spiritum suum, qui non Spiritum mundi accepimus, sed Spiritum, qui est ex Deo, ut sciamus, quæ Deus est nobis gratificatus. v. 10. 11. 12.*

10. Impertinentia itaque sunt omnia & inepta, quæ Papiæ opponunt de obscuritate mysteriorum divinorum, in quibus ratio humana captivanda sit in obsequium fidei. *2. Cor. 10. v. 5.* nec non de ignorantia hominum, & cæcitate mentis humane in rebus spiritualibus. Hæc enim *ἀπεροδοῦντα* sunt, & nihil ad rem faciunt. Quandoquidem, uti in propatulo est, non quæritur nunc, quid homo naturalis suis viribus, aut ratione naturali possit adsequi, sed quid fideles à Spiritu Sancto illuminati ex manifesto Dei verbo intelligere possint, debeantque. Prope est verbum in ore tuo, & in corde tuo. Hoc est verbum illud fidei, quod prædicamus. *Rom. 10. v. 8.* Sensibus & rationi naturali obscura atque stulta videntur, quæ in verbo Dei credenda proponuntur, sed credentibus & fidei manifesta satis sunt. Videlicet prædicamus Christum crucifixum, Judæis quidem offendiculum, Græcis verò stultitiam. *Ipsis autem vocatis, tum Judæis tum Græcis Christus Dei potentiam ac Dei sapientiam. Nam stultitia Dei sapientior est, quam homines: & infirmitas Dei validior est, quam homines. 1. Cor. 1. v. 23. 24. 25.*

ii. At.

11 Attendite rectius, in rem ipsam eamus propius: de  
notitia fidei nunc agitur, non de notitia rationis aut sensus na-  
turalis, *illam* requirimus & inculcamus. De illa pronuncia-  
mus & asserimus, quod ea non tantum sit generalis, quâ insi-  
pientes cœco spiritu, & zelo sine scientia rapti recitant, quod alij  
jactant, & se intelligere aut credere perhibent, non incerta &  
dubia, non obscura, non implicita, uti Papistæ tradunt, sed par-  
ticularis, certa, indubitata, perspicua, & explicita, sicuti ea in  
divinis revelationibus & scripturis sacris perspicue ac explicitè  
proposita est, indeque in Ecclesia quoque sic proponi & expli-  
cari debet, ut quivis rectè informetur, in fide ædificetur, & au-  
ditis cognitisq; amen dicere queat. Quid enim, inquit Apo-  
stolus Paulus, *si veniam ad vos lingvis loquens, quid vos juvabo,*  
*nisi vobis loquar, aut per revelationem, aut per cognitionem, aut*  
*per Prophetiam, aut per doctrinam?* Atqui inanima, quæ sonum  
edunt, sive tibia sit, sive citbara, nisi distinctionem tonis dederint,  
quomodo cognoscetur, quod tibia canitur aut citbara? Etenim si  
incertum sonum tuba dederit, quis apparabitur ad bellum? Ita &  
vos nisi per linguam benè significantem sermonem edideritis,  
quomodo intelligetur, quod dicitur: *eritis enim in aërem lo-*  
*quentes, quomodo is, qui implet locum indocti dicturus est amen,*  
*quandoquidem quid dicas, nescit.* 1. Cor. 14. v. 6. 7. 8. 9. 10. item per-  
git ibidem: *sed in Ecclesia malim quinque verba ex intelligentia*  
*mea loqui, ut & alios instituum, quam decem millia verborum*  
*lingua.* Fratres, ne estote pueri intelligentia: sed malitia pueri,  
intelligentia verò adulti estote v. 19. 20. ut ne simus amplius pue-  
ri, qui fluctuemus & circumferamur quovis vento doctrinæ per-  
versutiam hominum, per astutiam, qua nos adoriuntur, ut im-  
ponant nobis, sed veritatem sectantes in charitate, adolesca-  
mus in agnitionem filij Dei, Jesu Christi. Eph. 4. v. 14. 15.

12 Agite igitur, consideremus primò omnium, cur my-  
steria fidei revelata sint, atq; promulgata: Certè non eum in fi-  
nem, ut ignorentur, aut implicentur & occulantur, uti in pa-  
patu fit, sed ut nota sint in Ecclesia Dei, doceantur, discantur,  
ab uno quoque rectè cognoscantur: *Sciamus, utiq; quæ sit Spes*  
*Vocationis nostræ* Eph. 1. v. 18. & impleamur agnitione voluntatis  
divi-

divinæ in omni sapientiâ & prudentiâ Spiritus. *Coll. 1. v. 9.* Nempe mysterium absconditum à seculis, nunc patefactum est sanctis ejus, quibus voluit Deus *notum* facere, quæ sunt divitiæ gloriosi hujus mysterij in Gentibus, quod est Christus in vobis, spes gloriæ, quem nos annunciamus, corripientes omnem hominem, & *docentes omnem hominem in omni sapientia*, ut exhibeamus omnem hominem perfectum in Christo Jesu. *Coll. 1. v. 26. 27. 28.* *Mibi*, ait, Apostolus Paulus data est *hæc gratia Evangelizandi inter Gentes in pervestigabiles opes Christi*, & in lucem proferendi omnibus, *quæ sit communio mysterij, quod erat absconditum à seculis in Deo, qui omnia condidit per Jesum Christum*, ut nota nunc fiat per Ecclesiam imperiis ac potestatibus, *quæ in cælis sunt*, multiformis illa sapientia Dei, *secundum propositum æternum, quod constituit in Christo Jesu Domino nostro, in quo habemus libertatem & aditum cum fiducia per fidem ipsius.* Jehova Deus suscitavit testimonia sua in Jacob, præcepitq; patribus, ut nota facerent ea, filiis suis, ut *cognosceret generatio postera*, & ut filij, qui nascerentur, exurgerent, & narrarent filiis suis, ut ponerent in Deo spem suam, nec obliviscerentur operum Dei, & mandata ejus custodirent. *Psal 78 v. 5. 6. 7.* Universa Scriptura S. nos erudiat in fide ad salutem, uti Paulus suo Timoth. *in post. Epist. cap. 3. v. 14. 15. 16.* *Permane*, inquit, *in iis, quæ didicisti, & quia ab infantia sacras literas nosti, quæ te possunt instruere, & Otiosam sapientem reddere, in salute per fidem, quæ est in Christo Jesu.* Tota scriptura divinitus inspirata est utilis ad doctrinam &c. Johannes Baptista prædicavit agnitionem salutis: *Luc. 1. v. 77.* Lucas Evangelista scripsit suum Evangelium, ut inde habeamus *certitudinem doctrinæ Luc. 1. v. 4.* Apostolus Johannes scripsit, ut *sciamus nos vitam æternam habere, & ut credamus in nomen filij Dei. 1. Johan 5. v. 13.*

13. Quare non sufficit, ut quispiam in genere ac implicite credat, quod alius, quod pastor loci, quod Ecclesia credit, sed uti unusquisque propriam suam fide vivat. *Rom. 1. v. 17. Hab. 2. v. 4.* Sic quoque necessum omnino est, & incumbit omnibus Christianis, non tantum doctoribus, sed & Laicis, ut mysteria fidei seu credenda in seipsis verè cognoscant, probeque discernant, adeo-



adeoque & explicitam habeant notitiam fidei, sicuti & eam ob-  
causam frequenter monentur, omnes & singuli, ut scrutentur  
scripturas *Job. 5. v. 39.* probent Spiritus. *1. Job. 4. v. 1.* Caveant sibi  
à Pseudopropheta *Matth. 7. v. 15.* omnia probent, & quod bo-  
num est, teneant. *1. Thess. 5. v. 21.* Solius Christi vocem sequantur,  
alienam verò fugiant *Job. 10. v. 4. 5.* parati sint ad satisfactionem  
omni poscenti rationem, de ea spe, quæ in ipsis est. *1. Petr. 3. v. 15.*  
Meditentur in lege domini die ac nocte, *Psal. 1. v. 2.* Prospiciant,  
ut verbum Christi inter ipsos habitet copiosè in omni sapientia  
*Col. 4. v. 16.* Sicuti Beronenses laudantur *Act. 17. v. 11.* quod rece-  
perint sermonem Dei cum omni alacritate, quotidie scrutantes  
Scripturas, an hæc ita sese haberent. Romani antiqui verè  
Catholici, olim tempore primitivæ Ecclesiæ impleti erant omni  
cognitione, *πεπληρωμένοι τῶν ἀσθενῶν γνώσεως*, ut potuerint se mu-  
tuo monere ac informare in mysterijs fidei, seu credituque ne-  
cessarijs. *Rom. 15. v. 14.* Corinthij erant divites in fide ac scientia.  
*2. Cor. 8. v. 7. 1. Cor. 1. v. 5.* & notitiam fidei, docebant populum.  
*1. Cor. 14. v. 5. 9. 12. 16.* Contra ignorantiaæ asylum aut fidei implici-  
ta idolum nullū ibi erat. Ut peritis loquar, judicate vosmet ipsi,  
quod ajo. *1. Cor. 10. v. 15.* Quis igitur est sapiens & intelligit ista?  
intelliget & sciet ea, quia rectæ viæ Jehovæ & justij ambulabunt  
in eis, prævaricatores verò corruent in eis. *Osee 14. v. 10.* Et  
hoc primum est, quod de notitia fidei, ejusque necessitate præ-  
struendum erat.

14. Deindè ut paullo pressius agamus causam, dispicien-  
dum probe est, quomodo fides justificans in divinis literis defi-  
niatur, & declaretur, per firmam animi persuasionem, per scien-  
tiam, *γνώσιν, Πίσωσιν.* Luculentum ejus rei exemplum & gra-  
phicum exemplar habemus in fide Abrahæ, quam Apostolus  
Paulus emphaticè describit. *Rom. 4. v. 18. 19. 20. 21. 22.* sic scribit:  
*Abraham Pater credentium contra spem in spem credidit, non dis-  
ceptans τῆ ἀπίστια adversus promissiones Dei, sed plenissime sciens,*  
ut Romana Ecclesia legit, *τῶ ληροδογηταίς, cum, qui promissæ  
posse etiam facere.* Quem locum sic interpretatur Bellarminus  
lib. 1. de justific. cap. 6. Loquitur Apostolus, de fide Justificante, ut  
perspicuum est ex ultimis verbis: *Quid autem fuerit illa fides, ex-  
plicitæ*

plicat per propositionem negantem & affirmantem: per negantem cum dicit: Non consideravit corpus suum emortuum &c. Consideratio autem ad intellectum pertinet; ad quem non pertinet fiducia: per affirmantem, cum ait: Plenissimè sciens, quia quæcunq; promisit Deus potens est & facere; Plenissimè scire, intellectus est, non voluntatis, sicut contra fiduciam habere, voluntatis est, non intellectus. Quam expositionem Bellarmini non tantum laudat Adam Conzen in Comment. super Epist. ad Rom. cap. 4. v. 19. sed & insuper ibidem ad versum 21. subjungit. *Statuendum est, dici ὡς ἀπό ποθεν τὸν Θεὸν, qui in plenam, certam, exploratamq; alicujus rei cognitionem deductus est. Et τα πεπληρωμένα ποθεν τὸν Θεὸν, quorum nobis certissima constant indicia.* Sic igitur manifestè constat fidem Abrahami non fuisse ignorantiam aut cœcam persuasionem, sed notitiam indubitatam & explicitam.

15. Idem statuendum quoquè est de fide aliorum fidelium omnium, qui vestigijs fidei Abrahamæ, Patris credentium, incedere debent, ut sint filij promissionis & hæredes vitæ æternæ. Rom. 4. v. 12. Gal. 3. v. 26. 29. Talem fidem ab omnibus fidelibus requirit Jacobus cap. 1. & 2. Tali fidei notitia imbutus erat Hiob, quâ confidenter ait *Novi, וְיָדַעְתִּי non dubito, sed certò scio.* Nam verbum וְיָדַעְתִּי omnem dubitationem excludit, & affert firmam mentis adhæSIONem ad rem satis superquè exploratam, ut Gen. 48. v. 19. *Scio, fili mi, scio. Confer. Gen. 22. v. 12. Psalm. 138. v. 2. Psal. 143. v. 3* Sic ergò Hiob hoc loco fidem suam per scientiam indubitatam, exclusâ dubitatione omni, definit. Quod tam planum est, ut Jesuita Pineda in Comment. super Jobum id ipsum concedat, & in v. 25. cap. 19. pag. 96. expressè scribat: *Fidei cognitio & obscura hæc scientia divinorum, solâ visione beatâ inferior est claritate, æqualis certitudine, reliquis omnibus alijs scientijs longè superior atq; certior.* Eandem fidem confitetur Petrus, quando nomine Apostolorum ait: *Domine, ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes.* Et nos credimus & novimus, te esse Christum illum filium Dei viventis. Joh. 6. v. 68. 69. Paulus verò quanta confidentia ait: *Persvasum mihi, πείπισμα, certus sum, quia neq; mors, neq; vita, neq; Angeli, neq; principatus, neq; virtutes,*

zutes, neq; instantia, neq; futura, neq; fortitudo, neq; altitudo,  
neq; profundum, neq; creatura alia poterit nos separare à charitate  
Dei, quæ est in Christo Jesu, Domino nostro. Rom. 8. v. 38. 39. Scio  
enim, cui credidi, & certus sum, quia potens est depositum  
meum servare in illum diem. 2. Tim. 1. v. 12. Quare tantum abest,  
ut fides sit ignorantia, ut potius sine verâ credendarum rerum  
notitiâ esse ac consistere nequaquam possit, quin & verè definia-  
tur per certam & indubitatam notitiam.

16. Jam illud in confesso planè est, atque concessio, quod  
fides justificans est assensus verbo promissionis innixus, sive judi-  
cium approbationis, quo id, quod ex verbo prædicationis co-  
gnoscimus, acceptamus, tanquam verum & credendum, ut Thes-  
salonicenses Sermonem Apostoli excipiebant, non ut sermo-  
nem hominum, sed ut sermonem Dei. 1. Thessal. 2. v. 13. Sic autem  
non in genere tantum & indefinite accipimus, quod Ecclesia  
tradit, tenetq; sed in specie ac definite hoc ipsum, quod propo-  
nitur, verum esse judicamus, atque credendum. Constat utrim-  
que quod fides est *ὑποκεισιν* rerum credendarum, representatio  
rei, firma persuasio, est *ἔλεγχος*, demonstratio, convictio, ar-  
gumentum non apparentium. Hebr. 11. v. 1. At verò verba ista om-  
nia pertinent ad intellectum, ut per se notum est, & fatetur  
Bellarminus lib. 1. de Justif. cap. 5. Representare, inquit, est intel-  
lectus. Ille enim rem apprehendens per speciem sibi impressam fa-  
cit rem esse, antequam sit. Item *ἔλεγχος*, pergit, demonstratio ac  
convictio ad intellectum pertinent, ut etiam ipsum nomen Latinum,  
argumentum; ejus enim est convinci argumentis, cujus est assen-  
tiri & judicare. Profectò ejusmodi actus intellectus exerceri  
non possunt sine cognitione. Fides ergò, quæ judicat, approbat,  
representat, considerat, convincit, &c. apprehendat necessum  
est, & cognoscat objectum approbandum, dijudicandum, re-  
presentandum, considerandum, convincendumq;. Quomodo  
igitur sit ignorantia, & non potius notitia rei assensu compro-  
batæ? Nequè enim brutus & cæcus iste assensus debet esse, sed  
prudeus & discretus, ex auditu verbi conceptus, ut loquitur  
Apostolus Rom. 10. v. 17. qui sine cognitione præberi non potest.  
Statuamus ergò oportet, fidem verbo Dei verè assentientem,  
C esse

esse notitiam. Verè scribit Bellarminus dicto loco cap. 7. *in eo, qui credit, debet esse apprehensio & iudicium sive assensus.* At verò apprehensio illa est intellectiva, quin ipsissima est intellectio seu cognitio, qua species intelligibilis in intellectu concipitur, & res concepta intellectui representatur, uti in sese proponitur, vel revelatur. Summa huc redit: *Fides ex auditu verbi divini concipitur, & per doctrinam à Deo donatur.* Ergo non est ignorantia, sed certa atque indubitata notitia.

17. Præterea & hoc indubitatum est, quod fides justificans requirit cognitionem Christi. Nam in cognitione sui ipse justificabit multos, ut sciamus eum peccata nostra expiasse. *Esai. 53. v. 11.* Hæc est voluntas Dei Patris, ut qui videt filium, [Christum Jesum] & credit in eum, habeat vitam æternam. *Joh. 6. v. 40.* Quem in locum Cyrillus lib. 4. in Joh. cap. 2. notantèr scribit: *Deum omnia tradidisse suo filio: traditio autem, inquit, hæc est, ut filium cognoscant, sincereq; intelligant, atq; credant verum esse Deum, qui ex Deo vero est. Qui enim sic affectus est, & istis contemplationibus præditus, is ad sublimia illa fidei præmia, id est, ad vitam æternam conscendet. Ita Pater quidem per cognitionem & fidem ad filium eos adducit, quos hæc gratia dignos judicaverit: Filius autem accipiens, quasi ignis scintillas Vivificantis Spiritus virtutem ac suæ naturæ bonum sic in eis permittit, ut ad immortalitatem totum hominem transformet.* Fides salvifica requirit cognitionem Dei Patris & Christi, sine quâ salvari nemo potest. Hæc enim est vita æterna, ut cognoscant Deum Patrem esse verum Deum, & quem misit Jesum Christum. *Joh. 17. v. 3.* Nosse Deum consummata est justitia, & scire virtutem ejus est radix immortalitatis *Sap. 15. v. 3.* Deus vult, ut omnes salvandi veniant in agnitionem veritatis. *1. Tim. 2. v. 4.* Jehova Dominus pepigit fœdus cum populo suo in fide, ut eum agnoscant. *Ose. 2. v. 19. 20.* Quam ob causam non immeritò scripsit S. Augustin. lib. quæst. Vet. & N. T. q. 113. *Quamquam omne, quod facit Deus, rationabiliter & providenter factum credendum sit, melius tamen puto, si post fidem etiam causa facti possit adverti, ut quod creditur, non ignoretur, unde Dominus ait; hæc est autem vita æterna, ut cognoscamus te solum.*

solum verum Deum, & quem misisti Jesum Christum, primum enim credi debet, sicut a Propbeta dictum est, deinde sciri, quod creditur: quia jam fidelem & in hac re diligentem adjuvat Spiritus S. ut cognoscens intelligat fidei rationem, tunc enim plenum habet gaudium credulitatis suae, si quod credit, intelligat. Hoc est enim fidei robur, hoc immobile fundamentum credulitatis, addiscere Sacramentum. Certè cognitione Dei nihil melius, quia nihil beatius est, & ipsa beatitudo. Omnis homo pecus est absque notitia sui Creatoris, inquit S. Hieronymus. Quare necessum utiq; est, ut Deum & Christum rectè agnoscant, quotquot justificari & salvificari volunt. Fides igitur eorum, qui justificantur & salvantur, nequaquam est ignorantia aut incerta opinio, sed vera & indubitata notitia.

18. Et quid multis? Ignorantia est vitium turpissimum & perniciosissimum, sicuti & Dei rerumq; divinarum ignoratio nunquam non vehementer reprehenditur. *Deut. 32. v. 6. 18. 28. 29. 30. Psalm. 78. v. 10. 11. 12. &c.* Audite cœli & auribus percipe terra, quoniam Dominus locutus est: filios enutrivit & exaltavit, ipsi autem prævaricati sunt contra me. Cognovit bos possessorem suum, & Asinus præsepe Domini sui: Israël non cognovit, & populus meus non intelligit, quiritatur Jehova Deus. *Es. 1. v. 23.* Quia stultus est populus meus, me non agnoverunt, filij insipientes sunt. Sapientes sunt ad malè faciendum, benè facere autem non noverunt. *Jerem. 4. v. 22.* Stulti facti sunt omnes, quia non noverunt viam Johovæ. *Jerem. 5. v. 45.* Confer. *Jerem. 8. v. 7. 8. 9. cap. 9. v. 3. &c.* Tales stulti & insipientes sunt increduli, qui propter inscitiam nolunt nec possunt credere. *Johan. 12. vers. 39. 40. Matth. 12. v. 14. 15.* Unde Christus palam edicit: ô stulti & tardi corde ad credendum in omnibus, quæ loqvuti sunt Propbeta. *Luc. 24. v. 25. 26.* At verò illi excluduntur à vitâ Dei per ignorantiam. *Ephes. 4. v. 18.* Certè qui Christum non agnoscunt, illi nec eum recipiunt, nec filij Dei fieri possunt. *Job. 1. v. 5. 10. 12.* sed moriuntur in peccatis suis. *Job. 8. v. 19. 24. 45. 46.* Quare facestant hîc sceptici Theologi, procul hinc facestant Ignorantiæ fratres & implicitæ fidei conditores. *Nolite errare, expergiscimini justè, & non peccetis, nam ignorantiam Dei nonnulli habent, ad pudorera*

*rem vobis, incutiendum, loquor, scribit Apostolus. i. Cor. 15. v. 34.*  
Ne sitis eorum consortes. Eratis enim olim tenebræ, nunc au-  
tem lux in Domino: ut filij lucis incedite, probantes quid sit  
acceptum Domino. *Ephes. 5. v. 7. 8. 10.* Vera fides justificans non  
ignorantia est, sed notitia certa, indubitata & explicita. Videte  
igitur, quomodo *ἀνεπιστῶς* accuratè incedatis, non ut insipien-  
tes, sed ut sapientes, redimentes occasionem, quoniam dies ma-  
li sunt. Propterea ne estote imprudentes, sed intelligentes, quæsit  
voluntas Domini. *Ephes. 5. v. 15. 16. 17.*

19. Quæ omnia satis superquæ ostendunt evincuntque  
& necessariam esse cognitionem rerum credendarum, & fidem  
justificantem rectè definiri per notitiam certam atquæ indubi-  
tatam.

20. Contrà disputant Papicolæ, contendentes explici-  
tam planamquæ Christi Redemptoris notitiam non esse semper  
necessariam, nec omnibus, sed implicitam & carbonariam  
quandam sufficere fidem, quæ tamen mera pura ignorantia  
est: Disputant illi, etiam falsa & hæretica esse credenda, quan-  
do ea ab Episcopis proponuntur & inculcantur; Et talem cœ-  
cam, erroneam credulitatem in populo nequaquam culpan-  
dam esse, sed laudandam potius, quippe quæ mereatur quoquæ  
præmium. Verùm enim verò detestanda illa est Papalis cæcitas.  
Audiamus ignorantia præcones. Sic causam intimat Magister  
sententiarum, Lombardus, lib. 3. de fide antiquorum, & de suf-  
ficientiâ fidei ad salutem, distinctione 25. *Multi credunt, quod  
ignorant, habentes fidem velatam in mysteria, nempe juxta revela-  
tionem generalem, credenda esse ea, quæ credebant majores, doce-  
bant q̄.* Hæc quomodo intelligenda sint, prolixè exponit Tho-  
mas, Angelicus ille Papistarum Doctor: Sic verò ille pronunciat  
in 22. q. 1. art. 7. 4. *Dicendum, quod ita se habent in doctrinâ fidei.  
Articuli fidei, sicut principia per se nota in doctrinâ, quæ per ratio-  
nem naturalem habetur: In quibus principijs ordo quidam inveni-  
tur, ut quadam in alijs implicitè contineantur: sicut omnia princi-  
pia reducuntur ad hoc, sicut ad primum. Impossibilè est simul affir-  
mare & negare, ut patet per Philosophum in 4. Metaph. & similiter  
omnes articuli implicitè continentur in aliquibus primis credibili-  
bus,*

bus, scilicet ut credatur Deus esse, & providentiam habere circa hominum salutem, secundum illud ad Hebr. II. — accedentem ad Deum oportet credere, quia est, & quod requirentibus se remunerator sit. In esse enim divino includuntur omnia, quae credimus in Deo aeternaliter existere, in quibus nostra beatitudo consistit. In fide autem providentiae includuntur omnia, quae temporaliter, à Deo dispensantur ad hominum salutem, quae sunt via in beatitudinem, & per hunc etiam modum aliorum subsequentem articulorum: quidam in alijs continentur, sicut in fide redemptionis humanae implicitè continentur, & incarnatio Christi, & ejus passio, & omnia hujusmodi. Item. Art. 5. ibid. scribit. *Quantum autem ad alia credibilia non tenetur homo explicitè credere, sed solum implicitè, vel in preparatione animi, in quantum paratus est credere, quidquid divina scriptura continet, sed tunc solum tenetur explicitè credere, quando hoc ei constiterit in doctrinâ fidei contineri.* Hæc Thomas d. I. qui porrò illam implicitam fidem adeò extendit, ut eam quoque Gentibus faciat communem, etiam si nulla illis de Christo Redemptore innotuerit revelatio, nihilq; de eo in-  
au diverint. Sic enim scribit ibid. Quæst. 2. art. 2. in fine: *si qui tamen [Gentiles] salvati fuerint, quibus revelatio non fuit facta, non fuerunt salvati absq; fide Mediatoris, quia etsi non habuerunt fidem explicitam, habuerunt tamen fidem implicitam in divinâ providentiâ, credentes Deum esse Liberatorem hominum secundum modos sibi placitos, & secundum quod aliquibus veritatem cognoscentibus spiritus revelasset.*

21. Eadem chorda oberrant ejus sectatores, & commentatores, ut passim legere licet. Conferatur saltem *Didacus Ruitz, de Montoya disp. 25. tract. 3. de predest. Exord. sect. 3. 4. & seqq. pag. 311. &c. Andradus in defensione Concilij Trident. lib. 3. pag. 292. Vi-  
tus Miletus in discuss. Errorum Heshbusii, Err. 8 pag. 113. 114. Franci-  
scus sancta clara in tract. 1. Deus, natura, gratia, ubi prolixè doce-  
tur, quod ad justificationem non requiratur cognitio superna-  
turalis objecti omnino. Pererius in disp. 18. super cap. 1. ad Rom.  
Gregorius de Valentia. Tom 3. controvers. qui & Scorum, victoriam &  
vegam adducit. Schleidanus lib. 23. comment. de statu religionis  
refert, Monachum quendam Franciscanum in publicâ Concione  
C 3 docuis.*

docuisse eos, qui Christi cognitionem nullam habuissent, & alio-  
quin vitam egissent honestè, salutem esse conlectos, & hanc esse  
genuinam Apostoli Pauli sententiam in Epist. ad Rom. cap. i.  
22. Hæc implicita Papistarum fides est, quæ uti à Gentili  
cæcitate ac paganâ religione, vel nihil vel parum discrepat,  
ita certè verè Christiana & Catholica fides non est, nec ad salu-  
tem sufficit, sed potius deprimit veram fidem, atquè imminuit,  
ut non immeritò censet Calixtus in responso contra Mogunti-  
nos num. 119. ubi disertè scribit, eam esse magnam ignorantiam,  
quam Pontifices inter suos præsertim in Italiâ & Hispaniâ fovent,  
magnumq; ignorantia præsidium, nec ab ipsis Dominis Moguntinis  
penitus neglectum: dico autem, pergit ibid. Calixtus, Pontificiam  
implicitam fidem nullam esse fidem, & quantum Ecclesiæ & Ponti-  
ficis auctoritatem extollat, tantum veram fidem imminuere ac de-  
primere. Porro scribit ibid. num. 63. non possum non admirari,  
imò seriò reprehendere, quin palam rejicere & damnare, quod alij,  
num fides explicita Christi Redemptoris & sanctissimæ Trinitatis ad  
salutem necessaria sit, dubitant, alij expressè negant. Nec video,  
quomodo cum tali opinione, vel doctrinâ, consistere possint funda-  
menta Christianismi: ut proinde, uboriatur suspicio, apud vos, Do-  
mini Papistæ, modò agnoscatur principatus Pontificis, impunè posse  
ignari Christum. Item num. 59. ibid. Desinite, quæso in me stolidæ  
convicia funderè linguæ, & mucronem grandiloquentiæ vestræ in  
eos convertite, qui explicitam & certam Christi Salvatoris fidem,  
obtinendæ salutis necessariam esse negant, aut saltem, num verè ne-  
cessaria sit, dubitant, vel non nisi probabile id esse existimant. Qua-  
les opinationes, ut vobiscum loquar, non proponunt aut defendunt  
Doctores protestantes, sed Pontificij & Jesuitæ. Ita Calixtus non  
immeritò perstringit, reprehenditq; implicitam Papistarum fi-  
dem, eo quod imminuat fidem, nec consistere possit cum funda-  
mento Christianismi.

23. Profectò negari non potest, implicitam Papistarum  
fidem esse meram ignorantiam, eamquè exitialem & damnabi-  
lem, quâ uti res credenda non percipitur, sic in ea hætenus non  
creditur, quod implicitè credi dicitur, talis quippe ea est, quæ  
objectum fidei, quod credendum est, in specie seu in se ipso, non  
appre-



apprehendit, sicq; nec assensum ei firmum præbere potest. Vera itaque fides esse nequit, sed æquivoce tantum sic dicitur, nec non implicat contradictionem in adjecto. Quomodo enim id fide apprehendi potest, eique assensus præberi, quod menti non proponitur, nec repræsentatur, ad quod intellectus non determinatur, circa quod nullam elicit operationem. Hæc certè *obscuræ* sunt. Scilicet illud in papali fide implicitâ videri dicitur, quod nondum videtur, quod oculis nondum exponitur, non obijcitur, non offertur, sed fortè inclusum tenetur in alio, ceu in clauso armario, sed & videre tenetur Papista alterius oculis, aliorum intellectu intelligere, ac sapere aliorum sapientiâ, quippè qui propterea dicitur credere, ac scire, quod alij credunt, aut intelligunt. Non diffiteri prorsus id possunt adversarij, sed apertè scribit Svarezius Tractatu de fide disp. ii. Sect. 6. num. ii. *Quod implicitè creditur, revera non cognoscitur neq; intellectus format proprium conceptum propositionis, quæ implicitè tantum credi dicitur.* Item Andradius in defens. Cocil. Trident. lib. ii. circa finem. *Qui Ecclesie firmitatem & integritatem credit, multa etiam implicitâ fide prosequi debet, de quibus neq; cogitat quidem unquam.* Sic ergo manifestum est, quod implicita Papistarum fides nulla sit fides, quodq; ea notitia objecti credendi nulla sit, eamq; fidem veram non imminuat modò aut deprimat, sed & neget penitus, evertatq; funditus. Tantum est, quod errant Papistæ.

24. Præterea observes velim, quod illam implicitam fidem etiam in summis & fundamentalibus fidei articulis de Deo & Christo sufficere statuam. Sic enim Glossa in rubricam primi tituli decretalium de summâ Trinitate & fide Catholicâ. *Principales articuli fidei nostræ sunt VII. quos quilibet Christianus scire tenetur, Clerici explicitè, Laici implicitè, & credere, sicut tenet & Ecclesia, sunt hi Incarnatio sive Nativitas, Baptismus, Passio Christi sive mors ejus, descensus ad inferos, resurrectio adscensus in cœlum, adventus ad judicium.* Panormitanus in eandem Rubricam: *implicitè scire est credere secundum quod Ecclesia credit, ita quod suam fidem submittit Ecclesie.* Sic ergo in Papatu necessaria non est explicita Christi cognitio: sed impune  
licet

licet ignorare Christum, impunè ignorare summos fidei articulos. Scilicet, salva sint omnia, modò quis Ecclesiæ iudicio sese submittat, & Romano Pontifici auctoritatem non detrectet. Tum non ignorare omnia duntaxat liceat, sed & fidei contraria erronea falsa credere.

25. In tantum quippè valeat implicita fides, Iudice Innocentio 4. Pontifice Romano, ut dicunt quidam, quod si aliquis eam habet, scilicet si credit, quod Ecclesia credit, sed falso opinatur ratione naturali motus, quod Pater major vel prior sit filio, quod tres personæ sunt tres res à se invicem distinctæ; quod non est Hereticus, nec peccat, dum modò hunc errorem suum non defendat; & hoc ipsum credat, quia credit, Ecclesiam sic credere, & suam opinionem fidei Ecclesiæ supponat: quia licet, sic malè opinetur, tamen non est illa fides sua, imò fides, sua fides est Ecclesia. Hinc apertè docent, etiam falsa credenda esse, quando ab Ecclesiâ vel Episcopis proponuntur, quam ob causam Georg. de Valentia Tom. 3. disput. 1. quæst. 2. puncto 5. sic scribit. Quandoq; potest contingere, & qui teneatur conari ad eliciendum ad sensum fidei supernaturalem circa id, cuius contrarium est re ipsa verum. Nempè si Synodus Episcopalis, aut etiam communis consensus plurium Theologorum statueret, aliquam propositionem esse propositam ab Ecclesiâ & de fide; atq; ideò juberetur quis præbere illi propositioni ad sensum fidei, tunc talis teneretur conari ad eliciendum talem ad sensum ex præcepto fidei, & aliàs incurreret peccatum hæresis, quod ad voluntatem suam attinet. Et tamen cum Synodus Episcopalis, & plures etiam Theologi errare possint, posset contingere, ut quod ab Episcopis vel Doctoribus aliquibus proponitur, tali credendum, falsum re ipsa esset. Pelantius in Comment in universam Theologiam thomæ secunda secundæ. quæst. 1. articul. 1. disp. 4. pag 461. 462. Caterum quia evidentia credibilitatis, non est evidentia veritatis, neq; illam necessariò infert, (nam præcisa Dei providentia ad quam spectare videtur non permittere, ut mendacia sufficientèr proponantur, ut credenda per ipsius auctoritatem) cum multa falsa sint probabiliora veris; ita potest sufficientèr proponi falsum, atq; verum, ut si rustico proponatur. à. 20. Episcopis qui habeantur Catholici, & docti, hæresis, tanquam veritas Catholi.

*r'holica & in concilio definita, esset illi evidenter credibilis, & tene-  
retur illam credere, alioqui peccaret. Ita nimirum in papatu  
propter sententiam Ecclesiae, & Episcoporum falsa & haeretica  
credenda sunt.*

26. Quin porrò impudenter docent, statuuntq; , ejusmo-  
di errores non tantum non esse culpabiles, sed & meritorios, uti  
jam olim scripsit Gabriel Biel ad distinct. 25. tert. quæstione,  
unicâ art. 1. notabil. 2. coroll. 4. *Si quis simplex ineruditus audiret  
Prælatum suum prædicare aliquid contrarium fidei, de quo tamen  
non tenetur habere fidem explicitam, & ita captivaret intellectum  
suum credendo illud propter Deum, putans hoc ecclesiam credere;  
talis non solum non peccaret, sed etiam sic credendo falsum, mere-  
tur. Similiter docet Angelus de Clavasio, errorem aliquando  
circa fidem esse meritorium, aliquando cum peccato veniali, ali-  
quando mortali. Meritorium est secundum ipsum, quando aliquis  
audit aliquem Prædicatorem famosum, vel Episcopum prædicasse  
aliquem errorem, & simplex credit animo obediendi fidei paratus  
tamen corrigi. Cum peccato veniali, ut vetula credit, Trinita-  
tem esse unam fœminam; & quia credit ecclesiam sic tenere, sic  
credit, & tamen non est haeretica, quia conditionaliter credit, si  
Ecclesia sic tenet, ut credit & c. Item Franciscus Toletus lib. 4. In-  
struct. Sacerd. cap. 3. *Si Rusticus circa Articulos credat suo Episco-  
po, proponenti aliquod dogma haeticum, meretur credendo, licet  
sit error, quia tenetur credere, donec ei constet esse contra eccle-  
siam. Quæ profe nō omnia & flagitiosa dogmata sunt, & quan-  
tum evehunt ecclesiam, Episcoposq; super Scripturam S. super  
cœlestem veritatem, in tantum veræ fidei derogant, nec non fi-  
dei Catholicæ doctrinam convellunt penitus.**

27. Nos inde concludimus:

*Cæca ignorantia, erroribus & haeresibus immersa, quæ & igno-  
rare Christum, & falsa, nec non haeretica credere impunè li-  
cet, non justificat, non salvat.*

*Atqui implicita Papistarum fides est talis.*

*Ergò implicita Papistarum fides non justificat, non salvat.*

D

Item

Item.

*Quicumq; profitentur fidem cœcam, cognitione Christi, Redemptoris destitutam, illi veri Catholici non sunt, sed Neo- & Pseudo Catholici.*

*At qui moderni Papista talem fidem profitentur.*

*Ergo moderni Papista veri Catholici non sunt, sed Neo- & Pseudo Catholici.*

28. Sed satis de primo fidei actu. Progrediamur ad alterum controversiæ caput, quod hoc loco est *fiducia*, quâ credens ita confidit Deo, ut datam promissionem sibi applicet, non hæsitans *ἀπισία*. *Rom. 4. v. 20.* Non disceptans in fide, qui enim dubitat, nihil quicquam accipiet à Domino *Jac. 1. v. 6. 7.* Sed certò statuat, Deum fore ipsi propiciam, & peccata remissuram, ut cùm Davide confidenter orare possit, ad te Domine levavi animam meam, Deus meus, in te confido, non erubescam. *Palm. 25. v. 1.* Miserere mei Deus, miserere mei, quoniam in te confidit anima mea. *Psalms. 57. v. 2.* Tantum Deo silet anima mea, nam ab ipso salus mea, ipse est Deus meus, salus mea, susceptor meus, non movebor lapsu ullo vel maximo. *Psalms. 62. v. 1. 2.* Sic & nos accedamus oportet cùm fiducia ad thronum gratiæ, ut consequamur misericordiam, & gratiam inveniamus ad opportunum auxilium. *Hebr. 4. v. 16.*

29. De hac fiducia fidei primò omnium notandum duco, quod verè ac egregiè scribit Casparus Contarenus Cardinalis in tract. de justif. *fides*, inquit, quandoq; appellatur *fiducia*, quâ *confidimus promissioni nobis factæ, à quocunq;.* Verum nos contrahimus hanc fidem ad promissionem divinam, quæ est in Deo, quatenus promissa servat. Sic in *Psalmo*, fidelis Deus &c. In nobis verò est hæc *fides*, prout *fidimus promissioni divinæ.* Hæc fidei significatio pro fiducia, conjuncta est significationi *spei*, quamvis *spes* propriè respiciat futura, fiducia verò etiam presentia & præterita. Attamen propinqua est hæc fiducia, quamobrem sæpè numero una pro alterâ sumitur. *Damasceus* ait; fidem duobus modis accipi, quorum alterum dicit esse assensum, alterum autem dicit esse *spem* eorum, quæ nobis sunt promissa. Ex *Apostolo Paulo* pluribus in locis habemus hanc acceptionem fidei pro confidentiâ. Sufficiat nunc unus locus

exi

locus ex Epist. ad Rom. cum loqueretur de Abrahamo, cuius exemplo maximè nititur, Apostolus, inquit, non infirmatus est diffidentia, sed confirmatus: Ecce opposuit diffidentia fidei, id est confidentiam. *His solitis distinctionibus sic describit officium fidei in justificatione:* Primus, inquit, animi motus in justificatione est motus fidei, quem motum, seu actum appellamus fidem. Hic autem motus incipit à voluntate, quæ obediens Deo & fidei efficit, ut intellectus assentiatur absq; hæsitatione traditis à Deo: & ideò promissionibus divinis confidat, & concipiat ex illis firmam fiduciam, quæ pertinet ad voluntatem, ut quasi circulo quodam incipiat à voluntate hæc fides, & desinat in voluntatem. *Promissio autem Dei, cui firmiter credit, est, ut inquit B. Thomas,* quod Deus remittat peccata, & justificet impium per ministerium Christi: *Ipse enim factus est autor salutis, omnibus credentibus in eum.* Hæc habentur apud Contaren. etiam post censuram, & repurgationem, ut vocant, operum ejus in postremâ edita venetâ. Idem inculcat Episcopus Jansenius in Concordia Evangel. cap. 32. pag. 177. *Rectissime dicitur, ut apparet, nomine fidei in Evangelis, cui ei tribuitur salus, aut consecutio omnium, quæ volumus, complecti utrumq; nempè & assensum illum firmum, in credendis de Deo ac Christo, & fiduciam ex illius omnipotentis bonitate conceptam, quamvis in quibusdam locis magis videatur haberi respectus ad crudelitatem, & assensum illum mentis, in quibusdam verò ad ipsam fiduciam. Ita enim duo hæc ad invicem coherent, ut nec fiducia esse possit sine credulitate, nec credulitas (fides vera) sine fiducia quicquam impetret à Deo, utq; fiducia magnitudo ex credulitatis perfectione nascatur.*

30. Sic ergò illi Pontificij Doctores apertè docent, & disertè scribunt, fidem justificantem in se complecti non modò assensum, uti sequiores Papistæ disputant, sed & fiduciam, sine quâ vera fides justificans esse non queat.

31. Hoc uti certissimum est, ita nunc præcipuè ac quàm maximè notandum venit. Etenim priores fidei actus, *notitia & assensus,* non sufficiunt ad justitiam fidei, & salutem consequendam: quippè qui etiam in hypocritas, & homines planè Epicureos, imò in ipsos Diabolos, qui tamen non salvantur, cadere

possunt. Non omni, qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum Caelorum, sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in Caelis est, inquit Christus. *Matth. 7. v. 21.* Multi dicent mihi in illo die, Domine, Domine, nonne in nomine tuo Prophetavimus, & in nomine tuo Demonia ejecimus &c. Et tunc confitebor illis, quia nunquam novi vos. *Discedite à me omnes, qui operamini iniquitatem.* Simon Magus ille dicitur credidisse per assensum fidei, sed maledictus erat. *Actor. 8. v. 13. 20. 21.* Certè servus ille, qui cognovit voluntatem Domini sui, & non se præparavit, & non fecit secundum voluntatem ejus, vapulabit multis. *Luc. 12. v. 47.* Tu credis, quoniam unus est Deus, benè facis, & Dæmones credunt, & contremiscunt. *Jac. 2. v. 19.*

32. Quare certum & hoc est, quod fides vera justificans & salvifica non absolvatur nudo assensu. Concludimus igitur: *Nudus assensus in se ac per se non justificat, non salvat.*

*Fides Papistarum est nudus assensus.*

*Ergò fides Pastarum in se ac per se non justificat, non salvat, & per consequens vera, justificans & salvifica fides non est.*

Item:

*Quicumq; fidem definiunt per nudum assensum, eumq; cæcum & brutum, quo ignota penitus, nec non falsa & hæretica credere licet, illi hætenus non profitentur veram fidem justificantem.*

*Atqui Papista moderni definiunt fidem per ejusmodi nudum assensum &c.*

*E. moderni Papista hætenus non profitentur veram fidem justificantem; adeoq; verè Catholici non sunt, sed Neo- & Pseudo-Catholici.*

33. Necessum præindè est, ut alius adhuc sit fidei actus, intrinsecus, essentialis, & quasi specificus, quo justificet ac salvet. Aliàs enim, si sine eo esset, verè justificans & salvifica non esset. Quis ergò iste? Non est charitas, aut ullum aliud opus legis, sed fiducia in Christum Redemptorem: Nam ei, qui non operatur, sed credit in eum, qui justificat impium, imputatur fides sua pro justitiâ. Sicut etiam David pronunciat, beatum eum hominem, cui Deus imputat justiciam absq; operibus. *Rom. 4. 5. 6.* Vide licet

licet iustitia, quæ coram Deo valet ad salutem non in lege, sed in Evangelio revelatur *ex fide in fidem, sicut scriptum est: iustus ex fide vivet. Rom. 1. v. 17.* Iustitia, inquam, Dei per fidem Jesu Christi in omnes & super omnes, qui credunt. *Rom. 3. v. 22.* Christus enim est finis legis ad iustitiam omni credenti. *Rom. 10. v. 3. Ut qui credit in eum* [per certam fiduciam confidit] *non pudeat. Rom. 9. v. 33 cap. 16. v. 11.* Colligimus igitur, fide justificari hominem absq; operibus legis. *Rom. 3. v. 28*

34. Papistæ contendunt, charitatem esse formam fidei, quæ eam quasi formet, & actuet, sicquæ perficiat, & moveat, ut fiat operosa, Deoque placeat, & justificare queat. Hæc falsissima sunt, & inaudita olim in Catholicâ Ecclesiâ, & puriore antiquitate Ecclesiasticâ. Præterquam enim, quod ex falsis hypothésibus & erroribus Papisticis proveniant, (quod nempe fides sit nudus assensus, adeoq; de se solâ non justificet, non salvet, nec in se sit viva, & operosa, quæ omnia erronea & figmenta hominum sunt,) nullum ea fundamentum habent, nequæ in divinis literis, nequæ in primitivâ Ecclesiâ, nequæ in rectâ ratione. Nusquam dicitur, quod fides efficaciam justificandi & salvandi mutuetur, aut accipiat à charitate humanâ, aut ab ullâ aliâ hominis virtute ac opere. Rectius Orthodoxi statuunt, docentquæ, quod charitas sive dilectio sit posterior fide, ejusq; consequens & effectus, sive fructus, quæ ut sine fide non placet Deo. *Hebr. 11. v. 6.* Ita nihil quicquam facit ad justificationem hominis peccatoris coram Deo, cum hæc fiat absquæ omni opere legis, ut prolixè docet Apostolus Paulus *Rom. 3. v. 4. cap.* Verè ac notanter scribit S. Augustin. contra duas Epistolas Arianorum lib. 3. cap. 15. *Nostri fides, hoc est, Catholica fides justos ab injustis, non operum, sed ipsâ fidei lege discernit. Quia iustus ex fide vivit. Perquam discretionem sit, ut homo ducens vitam honestam, cum suis tamen istis, velut laudabilibus moribus, si non in Deum fidem rectam & Catholicam teneat, de hac vitâ damnandus abscedat.*

35. Cæterum quatuor de fiduciâ fidei ordine exponenda, & uberius explananda essent. 1. Quod fiducia pertineat ad fidem, ejusq; actus sit essentialis, & quasi specificus, quò fides propriè justificat, salvatquæ. 2. Quod fiducia ista debeat esse specia-

lis, eaque certa & indubitata: 3. Quod Papistæ omnem veram fidei fiduciam negent, tollant, expugnentque, & 4. Quod propterea Pontificij non sint veri Catholici, sed Neo- & Pseudo-Catholici. Sed ob angustiam chartæ impræsentiarum breviores esse cogimur. Saltem notetur. 1. Quod vox, *fides*, vi nominis propriè ac in famosissimo, ut loqvuntur Logici, significatu, significet indubitatam animi confidentiam, stabilemque persuasionem, quâ alicujus verbo confidimus & in eo firmiter stamus, sicut apud Hebræos verbum **אָמַן** credidit, propriè ac præcipuè est confidere, confisus fuit, hoc est, dictis vel promissis acquievit: *fest trawen und verrawen*. Notant ipsimet Hebræi & Rabbini, quod ea vox in hiphil significet fiduciam atque receptionem, cum quid pro certo recipitur, uti ex Rabbi Kimchi citat Pagninus in Lexico. Inde est **אָמַן** fides, seu stabilis confidentia. Sic Exod. 17. v. 12. Manus Moysi dicuntur fideles, hoc est, stabiles & firmæ per fiduciam in Deum. De verbo **אָמַן** vide sis loca. *Gen. 15. v. 6.* Credidit Abraham Deo, & imputatum est illi ad justitiam, quod de firmâ persuasione animi & immotâ fiduciâ fidei exponitur *Rom. 4. v. 20. 21. 22.* Sic Israëlitæ dicuntur credidisse in Jehovam. *Exod. 14. v. 31.* contra non crediderunt in Deo, qui non confisi sunt in salutari ejus. *Psal. 78. v. 7. 8. 22. Num. 20. v. 12. Deut. 1. v. 32. cap 9 v. 23.* Hinc jubentur sæpius, ut verbis Dei fidant, eique confidant. *Credite in Domino, Deo vestro, & roboramini 2. Paral. 20. v. 20.* Qui crediderit, non præfestinet. *Esa. 28. v. 16. cap 7. v. 9.* si non credideritis, non permanebitis. *Esa. 7. v. 9.* Quæ dicta in N. T. subindè citantur, & de fiduciâ fidei exponuntur. Certum & exploratum planè est, quod illa vocabula excludant omnem dubitationem. Sicut enim **אָמַן** certiss. & fidelissimum Dei verbum significat; sic ei respondens nomen **אָמַן** per se importat talem fidem, qua firmiter fidimus verbo promittentis, eique confidimus, ut *Habac. 2. v. 4.* Justus in suâ fide vivet. *Deut. 32. v. 20.* Conferantur omnino D. Forsterus in dictionar. Ebraico p. 38. 39. 464. Avenar. Pagninus.

36. Eodem sensu loqvuntur & Græci, quibus **πίστις** fiduciam & fidelitatem significat, **πιστεύω** est confidere, seu persuasum



svasum habere, ac nequicquam dubitare de fidelitate promittentis: unde πιστός dicitur, qui est fidelis, cui tuto confidimus, & qui confidit. *Matth. 24. v. 45. Luc. 16. v. 10. 11. 12. Job. 2. v. 24. Rom. 3. v. 2.* Quinimò Latinis quoq; fides juxta propriam lingvæ indolem est fiducia à fidendo, per quam fidelis dicitur, vel cui fidimus, vel qui fidem servat; item & credere est confidere. Quod ipsam uti per se vi verborum certissimum est, ita quam maximè agnoscendum atque tenendum est in fide hominis erga Deum & Christum. Quare tantum abest, ut fiduciæ ratio aliena sit à fidei naturâ, ut illam potius per se requirat propriæ vocis indoles, eamq; præcipuè importet. Sic ergò hæc fiducia vi nominis omninò pertinet ad fidem.

37. Jam expendamus dicta, in quibus fides emphaticè describitur per confidentiam & fiduciam, ut *Joban. 16. v. ultim. Θαροσείτε*, confidite, ego vici mundum. *Job. 5. v. 4. 13. 14.* Et hæc est victoria, quæ vicit mundum, fides nostra. Hæc scripsi vobis, qui creditis, in nomine filij Dei, ut sciatis, quod vitam habeatis æternam, & credatis in nomine filij Dei, & hæc est fiducia, quam habemus apud Deum. Ecce æquipollenter ponuntur *θαροσείτε*, confidite, & *πιστεύετε* credite: fides exponitur per fiduciam. Similiter *Psalms 78. v. 22. Matth. 9. v. 22.* Confide filia cap. 15. v. 22. 23. 28. magna est fides tua. *Mich. 7. v. 5. 7.* Nolite credere amico, & nolite confidere in Duce: Ego autem ad Dominum adspiciam, expectabo Deum Salvatorem meum, audiet me Deus meus. Confer loca parallela V. & N. T. in quibus fides per fiduciam, & credere per confidere explicatur, ut *Psalms 31. v. 1.* In te Domine, confido, non confundar. *Rom. 10. v. 11.* Omnis, qui credit, non pudebit. Item *Psalms 2. v. ult.* Beati omnes, qui confidunt in eo. *Marc. 16. v. 16.* Qui crediderit, salvus erit, item *Esa. 26. v. 3.* servabis pacem, cum quis in te confidit. Confidite Domino usque in sempiternum *Rom. 5. v. 1.* Justificati igitur ex fide pacem habemus erga Deum per Dominum nostrum Jesum Christum. Item *Proverb. 3. v. 5.* Habe fiduciam in Domino ex toto corde tuo. *Actor. 8. v. 37.* Si credis ex toto corde. &c. Præterea passim sic describitur fides salvifica, quod sit firma animi persuasio, de gratiâ Dei, libertate & bonitate. *Rom. 4. v. 21. Ephes. 3. v. 12. 2. Cor. 3. v. 4.* quod sit *ωληθροεσία, ωδερησία.* *Hebr. 10. v. 22.* firma & con-

constans animi acquiescentia in promissionibus Dei, quâ credens promissionem Dei firmiter amplectitur, ijsquè certò innititur, & Deo tanquam salutari suo unicè adhæret, atquè in eotutò recumbit. *Hebr. 11. v. 1.* Dicitur *ἠσέβητος*, hoc est imperterrita confidentia, quâ homo stat in gratiâ Dei. *Rom. 5. v. 1.* Deo firmiter adhæret. *Jos. 23. v. 8. Deut. 30. v. 20. &c.* Sed ad alia prope-  
randum est, satis constat inde, fidem esse fiduciam, eamquè firmam & indubitam.

38. Videlicet id nunc prensandum arctius, & quàm maximè observandum est, quod fiducia illa fidei, non tantum sit generalis, sed & specialis & individualis, ut quivis firmiter credat Deum ipsi propitium esse propter Christum mediatorem, ipsi velle remittere peccata, & in sum recipere in gratiam: juxta illud Bernhardi, *credis, peccata remitti credentibus, benè facis, sed & hoc credas, Tibi credenti remitti peccata Tua,* ut sine hæsitacione, confidenter dicas; *Deus propitius esto mihi peccatori.* Sic credas oportet, ut confidenter statuere tecum, ac dicere possis; *Deus est salus mea, spes mea: Christus me dilexit, pro me mortuus est, mihi remissa sunt peccata mea: Ecce Deus salus mea, confidam & non pavebo, quia fortitudo mea, & laus mea Deus Jehovah. Esa. 12. v. 12.* Certus sum, quod nihil possit me separare à charitate Dei, quæ est in Christo Jesu, Domino nostro. *Rom. 8. v. 38. 39.* Hic fidei articulus, ut rectè statuit liber concordiz in Apol. Augustanæ Confessionis *pag. 171. & seq* præcipuus est, de quo digladiamur cum adversariis, & cujus cognitionem ducimus maximè necessariam esse Christianis omnibus, & paulò post *pag. 172.* Adversarij cum de fide loquuntur, & dicunt eam præcedere pœnitentiam, intelligunt fidem, non hanc, quæ justificat, sed quæ in genere credit, Deum esse, pœnas propositas esse impijs &c. Nos præter illam fidem requirimus, ut credat sibi quisq; remitti peccata: *de hac fide speciali* litigamus, & opponimus eam opinioni, quæ jubet confidere non in promissione Christi, sed in opere operato contritionis, confessionis, & satisfactionum &c. Hæc fides ita sequitur terrores, ut vineat eos, & reddat pacatam conscientiam. Huic fidei tribuimus, quod justificet & regeneret, dum ex terroribus libe-

liberat, & pacem, gaudium & novam vitam in corde parit. Hanc  
fidem defendimus verè esse necessariam ad remissionem pecca-  
torum, idè eam ponimus inter partes pœnitentiæ. Nec aliud  
sentit Ecclesia Christi, etiamsi adversarij nostri reclamant. In  
Germanico exemplari emphaticè loqvuntur protestantes Ele-  
ctores, Principes, Proceresq; Augustanæ Confessionis hoc modo.  
pag. 75. Und das wollen wir wiß Gott / ewiglich ver-  
sechten / und wieder alle Pforten der Høllen erhal-  
ten / daß derselbige Glaube muß da seyn / soller je-  
mand Sünde vergeben werden. Darumb setzen wir  
dieses stück auch zur Busse / es kan auch die Christliche  
Kirche nicht anders halten / denn das Sünde verge-  
ben werden durch solchen Glauben / wie wol die Wie-  
dersacher / als die wittende Hunde dawieder bellen.  
Item p. 74. & 75. Sciant igitur piæ conscientiæ, hoc est mandatū  
Dei, ut sciant sibi gratis ignosci propter Christum, non propter  
opera nostra, & hoc mandato dei sustentent se adversus despera-  
tionem, & adversus terrores peccati & mortis. Et hanc sententiam  
sciant à principio mundi in Ecclesia extitisse apud sanctos. Petrus e-  
nim clarè allegat consentum Prophetarū, & Apostolorum scripta  
testantur, eos idem sentire, nec de sancti Patrum testimonia. Nam  
Bernhardus idem dicit verbis minime obscuris. *Necesse est enim  
primò omnium credere*. quod remissionem peccatorum habere  
non possis, nisi per indulgentiam Dei, sed addè adhuc, *ut cre-  
das & hoc, quod per ipsum peccata tibi dantur.* Hoc est testim-  
onium, quod perhibet Spiritus S. in corde Tuo dicens: dimissa sunt  
tibi peccata tua. Sic enim arbitratur apostolus, *gratis justificari  
hominem per fidem.* Hæc Bernhardi verba mirificè illustrent cau-  
sam nostram, qui non solum requirit, ut in genere credamus,  
peccata remitti per misericordiam, sed jubet addere *specialem  
fidem*, quâ credamus, & nobis ipsis remitti peccata, & docet,  
quomodo certi reddamur de remissione peccatorum: videlicet,  
cum fide corda eriguntur, & fiunt tranquilla per Spiritum S. &  
*rursus ibid. pag. 178.* Non possunt conscientiæ reddi tranquillæ,  
nisi sciant, mandatū Dei esse, & ipsum Evangelium, ut certò  
statuant

statuant propter Christum gratis remitti peccata, nec dubitent sibi remitti. Si quis dubitat, is, ut Johannes ait, accusat promissionem divinam mendacij. *Hanc certitudinem fidei nos docemus requiri in Evangelio.* Adversarij relinquunt conscientias incertas & ambigentes. Nihil autem agunt conscientia ex fide, cum perpetuo dubitant, utrum habeant remissionem. Quomodo possunt in hac dubitatione invocare Deum? Quomodo possunt statuere, quod exaudiantur? Ita tota vita est sine Deo, & sine vero cultu Dei. Hoc est, quod Paulus inquit, peccatum esse, quicquid non fit ex fide. Et quia in hac dubitatione perpetuo versantur, nunquam experiuntur, quid sit fides. Ita fit ut ad extremam ruant in desperationem. *Talis est doctrina Adversariorum, doctrina legis, abrogatio Evangelij, doctrina desperationis, & paulo post. Profecto non delectant nos haec dissensiones in Ecclesia, quare nisi magnas & necessarias causas haberemus dissentendi ab adversariis, summam voluntate taceremus. Nunc cum ipsi manifestam veritatem damnent, non est integram nobis deserere causam, non nostram, sed Christi & Ecclesiae.* Haec Apolog. Augustanae Confessionis ejusque Assertores, Electores, Principes & Proceres Imperij Romani protestantes, nec non Ecclesiae Evangelicae omnes unanimiter contestantur, & verissime pronunciant, tum de fide speciali, quam certo credimus peccata nobis remitti gratis propter Christum, tum de dubitatione Papistica, quod ea sit doctrina desperationis.

39. Verè ac rectissime ajunt, fidem specialem ab initio mundi in Ecclesia Dei extitisse, adeoque verè Catholicam esse. Sicuti enim illa fundatur in fœderali promissione. *Ero Deus tuus &c. Gen. 17. Osee 2. v. 19. 20. &c.* Sic eam omnes fideles perpetuo tenuerunt & profesii sunt. *Exod. 15. v. 2. Job. 19. v. 25. 1. Reg. 8. v. 28. cap. 17. ibid. 2. Paralip. 14. v. 11. cap. 20. ibid. Psalm. 3. 7. 11. 18. & seqq. passim. Esa. 12. v. 2. cap. 26. v. 4. 9. 10. Mich. 7. v. 78.* Notatu dignissimum est, quod Ecclesia dicit: *Ego in Jehova exultabo, & letabor in Deo salutis meae. Jehova Dominus est fortitudo mea Habac. 4. v. 18. 19.* Ecce hæc fides & fiducia specialis est, quam ut fideles V. T. indefinenter tenuerunt, sic & eadem prorsus in N. T. continuata fuit & propagata. Certè illam ipsam iisdem penè verbis confitetur Maria, Mater Domini nostri Jesu Christi, cum exclamat:

clamat: *Magnificat anima mea Dominum, & exultavit Spiritus meus in Deo, Salutari meo. Luc. 1. v. 46. 47. conf. ibid. v. 43. 68. 69. Matth. 9. v. 2. Luc. 18. v. 13. Job. 20. v. 28.* Hæc quoque nostra fides est, ut quis credens tandem in fine vitæ confidenter dicere queat: *Fidem servavi, quod super est reposita mihi est corona justitia, quam reddet mihi Dominus, in illa Die, justus Judex: non solum autem mihi, sed & iis, qui diligunt adventum ejus. 2. Tim. 4. v. 7. 8.*

40. Fatetur Cassander in *Consultat. art. 4.* illam doctrinam de speciali fiducia esse doctrinam Ecclesiæ Catholicæ, nec ceu impiam damnandam esse, quin & adstruere eam satagit ex *Enchiridio Christianæ religionis*, in Concil. Provinciali Coloniensi Anno 36. edito, nec non ex *lib. Casaria Majestat. Ratisbonensi* &c. Fatemur, inquit, verum esse, ad justificationem hominis omnino requiri, ut homo certo credat, non tantum generaliter, quod propter Christum verè pœnitentibus remittantur peccata, sed & quod ipsi homini remissa sint, propter Christum per fidem. Bene est. Acceptamus, quod fatetur Pontificius. Hactenus ergo veram, rectam, & Catholicam fidem profitentur Lutherani & verè Evangelici. Quam cur Curia Papalis tam hostiliter ac dire infectetur, ejusque confessores ferro ac igne prosequatur, ipsa viderit.

41. Verè scribunt & non immerito quiritantur Evangelici Confessores, quod adversarij Papistæ impugnant damnantque specialis fiduciæ certitudinem, suisque dogmatibus dubitationem & desperationem inducant, stabiliantq;. Reperantur modò acta reformationis Evangel. & Augustanæ confessionis. Legatur Lutherus *Tom. 1. Jenens. Germ. pag. 116. Latin. Witteberg. pag. 222.* Et in der *Vermahnung an die geistliche Versammlung auff den Reichstag zu Augspurg &c.* Audiatur Concilium Tridentinum, quod *Sess. 6. Can. 9.* disertè scribit: *nemo potest scire certitudine fidei, se esse gratiam Dei consecutum, & Can. 13. ibid.* Anathemate damnat, *si quis dixerit omni homini ad remissionem peccatorum assequendam necessarium esse, ut credat certo, & absque ullâ hæsitacione propria infirmitatis, & indispositionis, peccata sibi esse remissa.* Item *Can. 15.* *Si quis dixerit hominem renatum, & justificatum teneri ex fide ad credendum, se certo esse in numero*

*predestinatorum, anathema sit. Quorum decretorum papalium intentionem, finem & summam esse prodit Andradius, affirmatq; ut Monachorum dogma de dubitatione quoquo modo retineatur, confirmetur, & stabiliatur. Ea propter *hellarm. lib. 3. de Justific. cap. 3. & seqq.* Sententiam decretoriam Concil. Trident. prolixè propugnare, & operosè tutari conatur, tandemq; concludit, *neminem posse esse certum certitudine fidei, se percipere verum sacramentum, cum sacramentum sine intentione ministræ non conficiatur, & intentionem alterius nemo videre possit.**

42. Quæ cum in Papatu ita se habeant, nos inde non immeritò sic concludimus:

*Quicumq; certitudinem specialis fiducia in Deum & Christum labef. Etant & enervant, suisq; pravis dogmatibus dubitationem & incertitudinem salutis inducunt, stabiliuntq; illi non sunt veri Catholici, sed Neo- & Pseudo-Catholici.*

*Atqui Ecclesie Papalis Doctores certitudinem specialis fiducia in Deum & Christum labefactant, enervantq; nec non suis pravis dogmatibus, dubitationem & incertitudinem salutis inducunt, stabiliuntq;.*

*Ergo Ecclesie Papalis Doctores non sunt veri Catholici, sed Neo- & Pseudo-Catholici.*

Rectè scribit beneq; monet Lutherus in Comment. super Genesin. cap. 41. pag. 597. *Discendum est, Deum non esse incertum, & ambiguum, sed certum, qui dicit, Baptizo te in nomine Patris, & Filij & Spiritus S. Absolvo te à peccatis tuis &c. Ibi Pater, Filius & Spiritus Sanctus non errant, non agitantur à vento, sed sunt rupes & Sela, ut sæpè in Psalmis appellatur Deus, quod sit firmissimus, quo solide possis niti ac dicere; Sum Sanctus, salvus, sum Filius Dei, & hæres Dei, quia sum Baptizatus. Ac procul removende sunt dubitationes Monastica. &c. Item pergit ibidem: Certus sum, me Deo placere cum omnibus actionibus meis, non propter me, qui hoc facio, sed propter Deum miserantem, ignoscentem, amantem & ducentem Spiritu Sancto. Hæc certitudo & ἀνεγκύβητος re-  
tinenda est, alioqui enim baptismus irritus & absolutio, & usus Cæ-  
næ Dominica inanis esset. Sicut sub Papatu idem nobis accidit, quod  
ait Paulus. Semper discentes, & nunquam ad cognitionem ve-  
ritatis pervenientes. Horribilis enim cæcitas fuit, & error omnibus  
modis*

modis execrandus, etiam si nihil peccatum fuisset in Pontificum doctrinâ, quod docuerunt nos vagari & fluctuari, ambigentes & dubios de nostrâ salute. Nam hæc incertitudo tollit mihi meum baptismum, & gratiam, frustra sum Christianus, frustra laboro & vivo. *Discite igitur ante omnia, & assuefacite animos vestros ut tota vita vestra certa sit ac firma, juxta illud Hebr. 12. genua lassâ erigite, & facite certos gressus vestros. Et 2. Petr. 1. Certam facientes vocationem vestram: Manete in vocatione, & sic statuite: Ego sum baptizatus, sumpsi corpus & sanguinem Christi, sum absolutus, Deus non fallat me &c.* De subtilitatibus, difficultatibus & spinosis quæstiunculis, quâ ratione fiducia specialis ingrediatur justificationem, aut quomodo eam insequatur, nec non in vitâ Christianâ perpetuò exerceri debeat, alius differendi locus erit, sufficit hac vice ostendisse, fidem justificantem non esse nudum assensum, sed indubitam fiduciam, eamq; specialem in Deum & Christum Salvatorem.

## Quæstio II.

### Num solâ fide justificemur?

43. Totius quæstionis decisiō pendet ex vero intellectu terminorum, & sensu statue quæstionis. Utrumquæ cum Papistæ pessimè pervertant, non possunt non in præsentî controversiæ puncto enormitèr hallucinari. De fide dictum hæcenus est, quàm profectò depravant ad eò, atq; convellunt, ut neminem justificare queat. Nudus quippe ista in Papatu cæcusq; assensus est, qui etiam, ipsis Pontificijs testantibus, in hypocritas, sceleratos, damnatosq; homines, nec non Dæmones cadit. *Jac. 2. v. 19. Matth. 7. v. 22. 23.* Nequè verò rectius sentiunt docentque de justificatione, aut verbo justificari. Videlicet justificatio Papistis rigidioribus, nihil aliud est quàm *infusio justitiæ habituali*, quâ coram Deo justificetur is, qui per suam propriam inhaerentem justitiam est justus. Quâ ratione non modò justificationem cum sanctificatione confundunt, sed & penitus tollunt atque evertunt. Quandoquidem nulla caro coram Deo per suam propriam justitiam, quæ legis est, justificari potest. *Rom. 3. v. 19. 20. 21. cap. 2. v. 31. 32. cap. 10. v. 3. Phil. 3. v. 9.*

E 3

44. Quod

44. Quod cum alij subodorari atque agnoscere coeperunt, aliam ingressi viam, duplicem justitiam, *fidei* unam, alteram *operum*, in actu justificationis conjungendam esse statuunt, id quod olim mature satis observavit, & opportunè monuit Aug. Confess. art. 20 de bonis operibus. Præterea, inquit, incipiunt *fidei* mentionem facere, de quâ olim merum erat silentium. Docent nos non tantum operibus justificari, sed conjungunt fidem & opera, & dicunt nos fide & operibus justificari. Quæ doctrina tollerabilior est priorè, & plus afferre potest consolationis, quam vetus ipsorum doctrina. Hoc dogma prolixè persequitur, inculcatq; Cassander in Consult. Art. 4. De ipsa justitiâ, scribit, quâ justificamur magna hætenus certamina extiterunt, aliis in solâ Christi justitiâ nobis imputata, aliis in justitiâ novæ vitæ nobis communicata, justificationis formamponentibus, etiam postea à doctissimis viris observatum sit ex Apostolicâ doctrinâ & Patrum traditionibus, utramq; justitiam in justificationis ratione conjungi debere. Et quidem de justitiâ meriti & satisfactione Christi, nobis imputata, hoc est, ac si propria esset attributa, scripturæ satis aperte loquuntur, per eam enim justitiam, id est meritum & intercessionem sanguinis Christi, peccata nobis remittuntur, id est, non imputantur. Ita Apostolus loquitur, Christum esse perfectionem legis ad justitiam omni credenti. Item cum, qui non novit peccatum, pro nobis peccatum factum, ut nos efficeremur justitia Dei in illo. Item Christum nobis à Patre factum justitiam, sapientiam & sanctificationem & redemptionem. Et paullo post, & quidem hoc extra controversiam est, justitiam illam, quâ justificamur, consistere in remissione peccatorum, hoc est, cum propter meritum passionis Christi, quàm suscepit nostri causa, peccata nobis non imputantur, quod nil aliud est, quàm ipsam Christi meritum ad remissionem peccatorum nobis imputari. Atq; hoc est, quod Paulus toties inculcat, imputari nobis fidem ad justitiam, eam videlicet fidem, quâ credimus in eam, qui suscitavit Jesum Christum Dominum nostrum à mortuis, qui traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter justitiam nostram. Hæc ille de justitiâ fidei, & imputata Christi, & non malè hætenus.

45. Mox pergit ibidem: verum hic rursus necesse est, ut ij qui protestantes vocantur, reliquis Catholicis in eo consentiant, qui dicunt



dicunt, hanc justificationem, seu justitiam, quã justificamur, non in solã remissione peccatorum, sed etiam in renovatione interiore hominis esse positam, cum per Spiritum Sanctum charitas Dei diffunditur in oordibus nostris, & nova creatura efficimur, nec solum dicimur, sed etiam verè justi efficimur, ut justificandi verbum non solum significet, absolvi à peccatis, sed etiam justitia donari, & ex impio justum effici.

46. Verùm enim verò hæc rectius exponenda sunt, atq; enodanda exactius, ut status controversiæ, & caput doctrinæ, quod modò prensamus & tractamus, intelligatur planius: videlicet in eo controversiæ cardo vertitur: num verbum justificandi, in actu justificationis, etiam significet donationem sive collationem aut infusionem justitiæ inherentis, quã ex impio habitualiter fit justus. Et hoc est, quod negamus. Illa enim sanctificatio est consequens justificationis, non constituens, nec ingrediens ejus actum. Certè alius Articulus fidei est de justificatione hominis peccatoris coram Deo, quomodo & quã ratione is in Judicio Dei absolvatur à reatu peccati, sicquè justificetur in Cœlo. Alius vicissim est de sanctificatione hominis justificati, quã sanctus est, & piè vivit in terris. Hæc duo nequaquam confundenda sunt.

47. Idem statuendum est de interiore renovatione hominis, quod nec in ea consistat justificatio hominis peccatoris coram Deo. Etenim ista æquipollet sanctificationi, & itidem est consequens justificationis. Tit. 3. v. 5. 6. 7.

48. Deinceps quaritur, num ista duo, justificatio & sanctificatio, itemquè iustitia Christi, & operum, sive fides & opera, ita eaque ratione conjungenda sint, ut in actu justificationis per illa conjunctim constituatur & absolvatur hominis peccatoris justificatio coram Deo. Hoc, hoc est, quod controvertitur, quodquè inficiamur.

49. Notanter loquor de actu justificationis, quo coram Deo justificamur. Nam aliàs extra illum actum & respectum conjungenda illa omninò sunt, nec separari possunt in vitã Christianã: Connexa sunt & arctissimè coherent in homine renato & justificato. Nam qui justificatur, is quoq; simul sanctificatur, & interius renovatur, indeq; vera fides parit opera bona, nec sine ijs vera esse potest.

50. Cavillantur Papistæ, ac si nostra doctrina sanctificationem, renovationem, charitatem & reliqua dona novitatis, quæ Spiritus S. operatur in renatis, ita excludat, ut nec sequantur nec adsint in renatis, ita ut propter nostras Ecclesias repetenda fuerint decreta, quæ olim in Concil. Milevitano Pelagianis opposita fuerunt: *Christum scilicet meruisse nobis non tantum remissionem peccatorum, verum etiam hoc, quod propter ipsius meritum per Spiritum Sanctum renovamur, & credentes fide propter Christum accipere, non tantum remissionem peccatorum, verum etiam Spiritum Sanctum, qui corda sanctificat ac renovat.*

51. Verum frustrâ illa nobis opponuntur: & injuriosè affricantur. Nullo enim modo hæc negamus, sed clarè & diligenter utrumq̃ beneficium Mediatoris prædicamus, & reconciliationem, & renovationem, illo ordine, sicut scriptura tradit. *Sycophanticum igitur, ut jam olim B. Chemnitius scripsit contra Concil. Trident. Conditores, benequè monuit, verè Sycophanticum artificium est, quod obliquè nostras Ecclesias insimulat, quæ si illa ita excludamus, ut nec sequantur nec adsint: cum status controversia sit: an propter meritum, obedientiam, seu justitiam Christi: an verò propter sequentem & inchoatam nostram novitatem absolvamur coram tribunali Dei, habeamus Deum placatum ac propitium adoptemur in filios, & acceptemur ad vitam æternam. Hoc, inquam, controvertitur, hoc doctrinæ caput est, ut non semel hæcenus præoccupavimus.*

52. Vaciferantur Papistæ, Evangelicos docere fidem, mortuam, & solitariam, bonis operibus vacuum. Sed atrocissimâ calumnia est. Audiatur Lutherus, qui totam hanc causam in Comment. super Genes. cap. 15. luculentè exponit, & eleganter sic disserit: *Scio reliquas virtutes insignia esse dona Dei; scio fidem sine his donis non exstiterè, sed questio est, cujusq̃ proprium sit. Tenes manū varia semina. Non autem quero, quæ cum quibus conjuncta sint, sed quæ sit cujusq̃ propria virtus. Hic apertè dic, quid faciat sola fides, non cum quibus virtutibus conjuncta sit. Sola autem fides apprehendit promissionem: hoc proprium solius fidei est opus. Reliquæ virtutes alias habent materias, circa quas versantur. Item: scimus, quod fides nunquam est sola, sed affert secum charitatem, & alia multiplicia dona: nec, unquam sola est*

est, sed non ideò confundenda res, & quòd solius fidei est, alijs virtutibus tribuendum. Hæc Lutherus.

53. Quibus probè observatis, statuimus, & apertè pronunciamus, *fidem solam justificare*, signantèr loquor, *justificare solam*, non esse solam, aut existere absq; operibus. Audiatur denuò B. Lutherus. Sic ille in Commentario super Gen. cap. 22. pag. 289. fac. 1. emphaticè scribit: *Non negamus nos facienda esse bona opera, sed hoc improbamus, quod adversarij commiscant fidem justificantem, & opera justicatorum per fidem. Benè quidem conveniunt, & sunt connexa inseparabilia, fides & opera: sed sola fides est, quæ apprehendit benedictionem. Ideò solam fidem justificantem predicamus, quia sola benedicitur: opera non habent gloriam, quod benedicant, sed sunt fructus benedictæ personæ &c.*

54. Caterùm hæc loqvutio: *sola fides justificat*, non est nova in Ecclesiâ Christi, non insolita, non inusitata, sed plurima, nec exigua habet testimonia antiquitatis, & ut benè monet *Cassander in Consultatione. Art. 4.* & exempla vetustatis. Nam Origenes in Epist. ad Rom. demonstrat, *fide solâ absq; operibus aliquos esse justificatos*: Et Hilarius de Paralitico à Christo, inquit, *per fidem remissio est, quod lex laxare non poterat, fides enim sola justificat &c.* Vox, *sola*, ut Erasmus testatur, tot clamoribus lapidata, hoc seculo in Luthero reverentèr legitur, & auditur in Patribus. Ambrosius quindecies repetit hanc exclusivam *Rom. 1. 3. 4. 10. 1. Cor. 1. Gal. 1. & 2. &c.* Johannes Hoffmeisterus, Ordinis Augustini in Svevia benemeritus provincialis, ex Sixti Senensis iudicio *lib. 4. Biblioth.* apertè scribit: *B. Patres & Paulum ipsum soli fidei justificationem attribuisse, & ante exortum in Ecclesiâ hunc tumultum, neminem fuisse offensum particula illa: Sola, quam jam teneræ quorundâ aures vix ferre possunt* Item Adamus Sasbout in cap. 2. Epist. ad Gal. *Hæc nostrâ tempestate Catholicæ Scriptores nullo modo propositionem illam ferunt, putantes venenum esse in illâ voculâ, sola, sed nec Thomas abhorre videtur, si qui, inquit, in veteri lege justi erant, non erant justi ex operibus legis, sed solùm ex fide Jesu Christi. Verus sensus Pauli est, non nisi ex fide, id est, nullis meritis.* Longum foret omnium dicta commemorare, poterunt illa legi apud Chemnitium nostrum, loco de justificatione pag. 305. Apud Gerhardum in locis Theologicis. Tom. 3. pag. 1310. §. 159. in Exeges. A. C. Mentzer. &c.

55. Fundamenta illius exclusivæ loqvutionis, & doctrinæ de solâ fide justificante, manifestò continentur in dictis: *Justificamur gratis ex gratia, absquè operibus*: exclusa igitur est gloriatio, non per legem operum, sed per legem fidei. *Rom. 3. v. 24. 27. 28.* Non possumus justificari in lege, sed per Christum solùm *Act. 13. v. 38. 39. cap. 4. 12.* Salvati estis per fidem, & hoc non ex  
F vobis,

vobis, non ex operibus, Dei donum est. *Eph. 2. v. 8. 9.* Si verò est ex gratiâ, jam non ex operibus. Aliâs gratia non esset gratia. *Rom. 11. v. 6.* Plura qui desiderat, legat Chemnitium, d. l. & in Exam. Concil. Trident. part. 1. p. 16. Nunc enim nobis ob angustiam chartæ abrumpenda hæc tela est.

56. Unum velim diligenter notes, quod Apost. Paulus ait, *Gal. 2. v. 16.* non justificatur homo ex operibus legis, sed per fidem Jesu Christi: *ἐὰν μὴ ἂν ᾤστωσιν.* quam loquendi rationem habere vim exclusivæ propositionis, jam olim demonstravit B. Chemnitius d. l. ex simil. locis *Apoc. 9. v. 4. c. 21. v. 27. Marc. 13. v. 32. Job. 15. v. 4.*

57. Idem ex eodem dicto, & idiotismo Apostolico docet Titelmanus. Cum igitur, inquit, credamus firmiter, quòd ex operibus legis, nemo potest coram Deo justificari, sed tantum per fidem in Christum. Ubi nisi accipitur pro non nisi. Unde Estius, constat voculam, nisi, frequenter in scripturis adversative sumi, ut idem valeat, quod, sed tantum, ubi addit, omnes interpretes Græcos & Latinos, huic interpretationi consentire, eamq; ex sequentibus colligi, & ex c. 3. Epist. Rom. Adamus Sasbauot in eundem locum scribens, existimat esse phrasin Hebraicam, quia more Hebræorum repetenda est negativa, non, ex præcedentibus, non justificatur homo ex operibus, non nisi per fidem Jesu Christi. Ubi addit: si quæras, an ex propositione ista, homo justificatur non nisi ex fide, rectè inferatur, ergò solâ fide justificamur? dicendum quod sic. Hæc illi.

58. Ita omninò est, qui coram Deo absquè omni suo merito, absquè omni opere, absq; omni legis conditione justificatur, is certè juxta perpetuam Ecclesiæ Catholicæ doctrinam sola fide justificatur. Etenim si ij, qui ad legem pertinent, heredes sunt, inanis facta est promissio. Idcirco ex fide datur hereditas, ut secundum gratiam firma sit promissio & c. *Rom. 4. v. 14. 16.*

59. Quare nos inde sic concludimus:

Quicumq; non negant modò, sed & dirè insectantur, nec non hostiliter impugnant, merè gratuitam justificationem, quâ homo peccator solâ fide in Christum coram Deo justificari creditur, illi non sunt veri Catholici, sed Neo- & Pseudo-Catholici b. e. Acatbolici.

Ac qui Papista, Evangelicarum Ecclesiarum persecutores, non negant modò, sed & dirè insectantur, nec non hostiliter impugnant, merè gratuitam justificationem, quâ homo peccator solâ fide in Christum coram Deo justificari creditur.

Ergò Papista, Evangelicarum Ecclesiarum persecutores, non sunt veri Catholici, sed Neo- & Pseudo-Catholici b. e. Acatbolici.

60. Nostra fides, ut sancti Augustini verbis, ab ipsis Papistis hæc ipsa in causa laudatis, omnia eundem modum comprehendamus, & universam Disputationem

con-

*concludamus*, hoc est, Catholica fides justos ab injustis, non operum, sed ipsâ fidei lege discernit, quia justus ex fide vivit. Per quam discretionem fit ut homo ducens vitam sine homicidio, sine furto, sine falso testimonio, sine appetitu rei ullius alienæ, parentibus honorem debitum reddens, castus usque ad continentiam ab omni omnino concubitu, etiam conjugali, elemosynarum largissimus, injuriarum patientissimus, qui non solum non auferat aliena; sed nec sua reposcat ablata, vel etiam venditis omnibus suis, rogatisq; in pauperes nihil suum proprium possideat; cum suis tamen istis velut laudabilibus moribus, si non in Deum fidem rectam & Catholicam teneat, de hac vitâ damnandus abscedat. Vigilate igitur, ut prudentibus loquor, judicate vosmet ipsi, quod ajo.

SOLI DEO, ET CHRISTO, SOLI SALVATORI, GLORIA.

EXIMIO AC PRÆSTANTISSIMO

Dn. Respondenti,

**H**Æc Fidei doctrina piæ, quæ sola salutem  
Affert: egregio scripta labore tibi.  
Et patrio quondam monstra non segniter orbi  
Hancce viam, eximio nomine, CHRISTOPHORI.

ABRAHAM CALOVIUS D. P. P.

**Q**uæ sit vera fides, quid credere, quidve docere  
Conveniat nobis, non sine laude doces.

JOHANNES MEISNERUS D. &  
Prof. Publ.

**S**ola Fides, quæ tota DEI stat freta cruce,  
Justitiam miseris conciliare potest.  
Illa DEI celebrat clementem grata favorem:  
Illa suum CHRISTO dat solidata decus.  
Quam dum chare tuâ cum laude tueris Amice,  
Rectè CHRISTOPHORI Nomen & omen habes.


εὐφροσύνης ἔνεκα f.  
ANDREAS KUNADUS D. & P. P.

Quæ

**S**iciterum scandis magnâ cum laude Cathedram;  
Clarorumq; subis pulpita docta Sophum.  
Quæ sit vera fides monstras ex Codice sacro,  
Profligas Papæ dogmata falsa simul,  
Multæ laudis opus certè est, sic perge, merebis  
Præmia, quæ non sunt interitura, Tibi.

*συγχαιρων αρρῶνεβατ*

M. AUGUSTUS Gleitschaur Eccl. Witteb. Archid.



**F**undere pro Patriâ rubicundum sanguinis imbrem  
Solet decorum prædicare Terra:


Sternere Divino Papatus dogmate schisma,  
Laudi datur perennitatis æquè.

Hoc, Tu, DUCE BONO, moliris, dulcis Amice,  
Dum vera quid Fides sit inde monstras.

Grator ego, Tu perge Viam: Sic Nomine Req;  
*Christi sacrum Nomen feres beatus.*

*Ita L. M. Q. deprop.*

M. JOHANNES FRIMEL Witteb. S. S. Theol. Stud.



SCAZON

*Ad Eximium Dn. Respondentem, Amicum suum honorandum.*

**Q**uid vera sit Fides, quibusq; collecta  
Ex partibus, non scire, verum & integrâ  
Tenere mente; hoc utile est & imprimis  
Difficile. Sola namq; nos Fides vera  
Justificat, ac viam salutis æternæ

Ad præmium pandit, & ad omne non fallax  
Culmen boni. Fallacis et Cohors Papæ  
Non credit hæc; convicta sit licet sacris  
Veracibusque Oraculis DEI summi.

Hæc quum doces, AMICE, Præsidis magni  
Fultus ope, laude dignus es vehi multâ.

Quam Patria, aut quo fata traxerint, olim  
Mercede maximâ lubens adaugebit!

*Quod ex animo vobee,*

CHRIST. LÖHNERUS Hungarus.


F I N I S.

Lang VI. 5 1

ULB Halle

3

003 730 670



f

TA → d


neu 14 27 Stück verbleibt

Rino  
V377









Inches 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19  
Centimetres

B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

INE JESU!  
IO PUBLICA  
de  
**VERA,**  
**ICA, JUSTI-**  
**T SALVIFICA,**  
Catholicis Papistis,  
OSITA.  
uam  
ante Numine,  
lbim Academia,  
SIDE  
MAGNIFICO,  
mplissimo atq; Excellentissimo,  
**E SCHARFIO,**  
s.P. famigeratissimo, Col-  
visissimo, Templi Cathedralis  
meritissimo,  
Promotore suo, omni hono-  
i perpetim devenerando,  
disquisitioni subjicit  
**STOPHORI Ungarus.**  
rio Majori,  
is horis antemeridianis  

---

*Polas Arianorum lib 3 cap. 15.*  
ustos ab injustis, non operum, sed ipsa fidei lege  
iscretionem fit, ut homo ducens vitam, laudat  
bilibus moribus, si non in Deum fidem rectam  
abscedat.  

---

**NERI Academ. Typographi 1656.**

1973

9.